

www.e-rara.ch

Opium historice, chemice atque pharmacologicè investigatum

Christen, Christophorum Andr.

Vindobonae, 1820

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 28096

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-66994>

§. 9.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

§. 9.

Ex perspectis effectibus proximis, quos in morbis hinc illinc producere finis est medici, formabitur Opii indicatio atque contraindicatio, quae simul sumtae Opii constituunt usum medicum: *Opi o j a t r i k e n.*

— Momentosa certo et res plena laboris est dissertatio de indicatione atque contraindicatione Opii, imo plena periculi, cum agens sit vitalitatem augens, mox minuens, imo eandem plurimam oliorsum dirigens. Indicatio Opii quidem limitibus justis breviter circumscribenda multam tamen analysim requirit specialem, ut juste et caute simul exhiberi queat. Summa hic principia necdum conspiciemus, cum Opio in systema nervosum praecipue agente hujus systematis functionem cognoscere deberemus, ut Opii ultimos penitiores effectus atque hinc indicationem summam explicare possemus; a quo procul nos abesse potius fatear, quam hypothesis ad fucum splendentibus, verbisque sonoris — de homine lunari Diogenis disseram. Voigtel praestans Materiae medicae scriptor (II. 2. 270.), Opium generatim valere in functione et adeo mixtione nervorum atque Sensorii abnormi, deque hac ultima multa facit verba! quibus Sensa talis Hypotheseos innituntur. Ego quidem mixtionem talem abnormem

nervorum et cerebri aliis auctoribus relinquendo patientiores peto conspectus.

Opium generatim convenit sensilitati aut stimulo nimis.

a) Sensilitati nimiae deprimendae minuendae ergo valet apud sensiliores: puta foeminas, praecipue gravidas, parturientes, puerperas, hystericas; viros melancholicos. Sensilitatis nimiae sequela proxima dolor, aut motus, absente licet irritamento locali, nimius hancce petunt medelam. Huc spectant laesiones externae majores, vulnera, fracturae; huc dolores a calculo, colici; huc spasmi in febribus intermittentibus, soporosis, a spasmis orti aut iis comitati morbi: hydrops, amenorrhoea, tussis, variolae. Antagonisticam interdum vitalitatem excitabit melancholicis, hystericis (Hartmann Mat. med. II. 177),

b) Stimulo nimio sufferendo innitetur Opium in morbis a suppresso perspirabili: exanthematibus, rheumatismo, arthritide; in cutanea variolarum genesi et evolutione; mucosae vias vellicante in tussi, stimulo locali inflammationes topicas continuante post evacuationes viarum primarum et secundarum;

fibra adhuc vibrante, convulsa, debilitate, doloribus magnis, anomalis systematis nervosi motibus. Tam titulo stimuli, quam sensilitatis praecipue nimiae evacuationes nimiae non criticae, continuantes, exhaustientes Opium sibi petunt. Ad hos fere titulos summus Sydenham repetito indicationem reduxit, dicendo (Op. II. 297. 372): Opium tribus affectibus convenire: doloribus, ataxiis Spirituum, et evacuationibus intestinalibus, quae vir acutissimus speciatim exponit ad data experientiae, qua is Opium copiose, cordate et primus, ut ita dicam, sagaciter exhibuit.

Indicationum momenta sequentia Opium concernunt: 1.) Convenit Opium spasmis et doloribus. Spasmi quidem, et convulsionones primum hoc inter antispastica agnoscunt remedium, sive a pura nevrosi (sensibilitate nempe nimia), sive ab irritamento materiali, non tamen ante exhaustionem vitalitatis auferendo, derivent. Hunc statum comitantur inquietudo, anxietas, motus apricae causae non respondententes, nimii, urina copiosa pallida, aut nulla, stricturae sphincterum. Doloribus Opium conveniet, omni tempore anodynum, leniens visum; tranquilla medicina Galeno dictum; hos quidem originarie suppresset a pura sensilitate exuberante ortos, aut a

stimulo necdum epirrhoeam majorem, Synochamve causante productos; si vero hic abortus fuerit status post praegressas sanguinis missiones in auxilium vocabitur. — 2.) Vitalitas depressa a deficiente cerebri cum vasis commercio hanc requirit medelam; incitabilitas imminuta, asthenia indirecta aequilibrium Opio petet restitui. Initio leviorum inflammationum, incitabilitate mitioribus stimulis imminuta: pulsu duro, contracto, duriusculo, cuti pallida, frigida, sudore frigido tenaci, extremis frigidis, facie pallida, aut persistente, oculis saporeque vix mutatis, lingua pura. Valet hic Opium, maxime junctum fixioribus, uti Cinchonae (Frank AML. 168). — Verum etiam in inflammationibus activis post venaesectiones valebit, praecipue tussi, dolore, spasmo, agrypnia praesentibus, junctumque Mercurio dulci. — 3.) Indicatur Opium in evacuationibus nimis, abnormibus secundaria sua actione: in Diarrhoea, Dysenteria, Hyperemesi, Cholera, Haemorrhagiis. Hae saepe a sensilitate nimia, ab organorum se - et excernentium mobilitate nimia productae Opio infringuntur, aut ante, si purae fuerint, aut post evacuationes artificiales, si heterogeneo stimulante comitatae fuerint. Voigtelii sensa sunt (II. 2. 282): evacuationes omnes non criticas, non a sordibus, non inflammationi junctas, adeoque ab irritabilitate tubi intestinalis aucta, a refrigera-

tione Opium petere, quod gummi et aromatis lenibus junctum, in — et externe exhibendum est. Indicatur quoque evacuationibus per spasmos retentis: uti mensibus, colica flatulenta etc. (Voigtel II. 2. 274).

Contraindicationum momenta plura primus exactius digessit atque statuit Georgius Young (a treatise on Opium, founded upon practical observations. London 1753). Sequentia potiora sunt: 1). Vitalitate aucta praesente nocet Opium: Hypersthenia nempe, incitatio aucta, diathesis pure phlogistica, plethora, febris inflammatoria intensior Opium contraindicant; ubi venaesectio primum est remedium, Opium non valere dixit Young. In Synocha nempe evoluta Systematis haematophori actio deprimenda, quam Opium potius exaltaret. Hyperstheniae tamen leniori, aut incipienti Opium, quo impetus adhuc compesci posset, convenire bene judicat Hartmann (Pharm. II. 177). Evolutae hyperstheniae signa videas: corpus robustum, succiplenum, plethoricum; cutim calidam, rubram, humidulam, epirrhoeam cephalicam: facie rubra, tumida, oculis splendentibus aut somnolentia expressam; pulmones oppletos, respirationem calidam, dyspnoeam. Hic Opio nullum esse locum aevi omnis observata docuere, et Opium cognitio docet. Obesse in

inflammationibus, in quibus sudores non producit, observat Cullen; in Agrypnia, et Cephalalgia febrili ut plurimum contraindicari observatur. — 2). Vitalitate systematis nervosi depressissima, paralyti adproximante. Hanc dijudicat medicus e motuum vitalium et animalium ordine atque gradu, praecipue vero respiratione ac pulsu. Statum hunc insensilitatis sensuum, soporositatis, vertiginis, delirii taciti, apoplectici torporis sistunt phaenomena, quae febribus malignis saepe adveniunt. Huc systematis irritabilis, et contractilis debilitatio accedit: in debilitate enim musculari magna non juvabit Opium, nec prolibus nisi in summo periculo dandum, nec gravidis nisi caute! Huc spectat status ventriculi tubique intestinalis atonus, quem digestio designat tarda, pauca, debilis, cum evacuationibus alvi tardis, siccisque (Jahn M. med. II. 211). Huc tandem pronitas in liquationem, in profluvia cruenta, uti maxime in sudores copiosos, in putredinem, in haemorrhagias (idem l. c). — 3). Absit Opium morbo judicato, seu crisi praesente, cum excretiones impediatur, excepta sudoris. Absit adeoque comparentibus sputis copiosis crassis (Willis Ph. 178), diarrhoea, praecipue infantum sub eruptione dentium, urina spissa, maxime si cum levamine ingruant. Quidam in acutis morbis plurimis

obesse Opium autumant ea de causa, cum delassatio subsequa vires pro crisi necessarias impediatur, quae tamen a dosi justa tanta non est, ut timorem tantum incutiat. — 4). Absit tandem Opium stimulis materialibus nimis praesentibus, dicta de causa: in statu gastrico, sordibus tubi intestinalis retentis, acibus, abdomine longius obstipato, visceribus abdominalibus infarctis (nisi id spasmo fieri contingeret). In ictero generatim contraindicatum esse statuit Jahn (II. 247.), eam ob causam cum Opium Carbonii copiam in corpore animali vivo augeat (?).

Series objecti ad formas morborum speciales quibus Opium convenit, jam descendere jubet, quas serie Classium communius in usum vocatarum exponam.

1.) Febribus intermittentibus convenire Opium jam veneranda novit antiquitas. Ad quartanas curandas soporem inferens medicamentum, e semine Hyoscyami, radice Mandragorae, Silphio et Trifolio paratum, laudavit Hippocrates (de morbis l. c. sect. 2.); quod consilium secuti Trallianus (12. c. 8.) in iisdem commendavit Antidotos magnas, quae Opio et Hyoscyamo constant, et Galenus (de ratione febres curandi c. 2. et

Libro de Theriaca c. 15) quartanae paroxysmum impediri scribit Theriaca. Recentiores plures Opio intermittentes debellarunt, inter quos plurimum meruit Anglus Lind, qui in omnibus non inflammatoriis, non gastricis febribus, ad nevroses pronis valere observavit. Quibus convenit febribus, hae decurrunt cum frigore forti, rigiditatem inferente, nec proportionato calore; pulsu parvo, tremulo, celeri, contracto (fere eodem sub et extra paroxysmum), in aegro debili, sensilissimo, ad deliquia prono, moesto, soporoso; urina tenui, pallida, sudore pauco vel nullo; ventriculo debili, appetitu deleto, emesi; lingua pura, humida, tremula; viribus mox ab initio dejectis, prostratis. — Si his accedant paroxysmi subintrantes, adeo, ut Chinae tempus vix sufficiat dandae, sensorique affectio apertam ostendat nevrosim, tunc plurimum indicatum est Opium, quod febribus his intermittentibus nervosis, soporosis et mortalibus Werlhofii (Todtenfieber), Tortique, quae saepe secundo, tertiove insultu occidere solent, plurimum conveniet. Has saepe oboriri ab affectibus: ira, terrore, metu, nausea, aut ab evacuationibus nimis observatum est. Valebit tandem in intermittentibus Opium, dum Cinchonae cortex non perfertur, emesique aut alvo mox rejicitur. Febres has intermittentes nervosas primus systematice rationaliter pertractavit Opio Hoffmann (magis quidem, ac

magni ante eum practici Wedel , Ettmüller , Boerhaave , qui raro remedium hocce adhibuerunt) : dedit autem vir sagax et felix ad semel Laudani liquidi guttas 95, quo insultum omnem subegit ; idem in soporosa intermittente exhibuit illico guttas 50 pro dosi , et desuper Aetheris sulphurici guttas 10 , ante insultum ; intercalari vero tempore Cinchonam . Nervosis intermittentibus debellandis jam olim adhibitum Opium , praecipue in hystericis , hypochondriacis , ad spasmos inclinantibus , sensibilibus Chinam rejicientibus , in intermittentibus malignis periculosissimis , ubi magna dosi exhibendum , Aetheri atque Moscho jungendum esse exponit Berryat ; praestantissime in statu minus nervoso Cinchonae jungi plures observarunt , interque hos Tralles . — At recentiores Opio etiam vulgares intermittentes debellare satagunt , praecipue a Brownio incitati Auctores : Weikard , Frank , Murray , aliique ; at Thomannio nulla intermittens Opio solo , nec copiose exhibito curata , sufferebatur Cinchona in apyrexia , Opio proxime ante insultum dato ; idem observavit Jahn (II. 218) . Plurimi ante insultum Opium vim tentarunt : Weikard ante insultum aegris decumbentibus , datis 20 guttis Laudani liquidi , febres intermittentes inveteratas abstulit ; paroxysmus brevior , sudor copiosior medellam tulit illico aut altera vice . Ante insultum hora integra vel dimidia Jahn exhibuit Opium ,
in

in theatu Cinnamomi aquoso vino admixto, omni hora usque ad initium caloris; vim ejusdem intendit Valeriana et Aethere; extra vero paroxysmum exhibuit Cinchonam, penitus ad methodum Hoffmanni, qua plurimas intermittentes aut sanavit, aut leniores reddidit, praecipue quoad frigoris symptoma (Jahn II. 218). Pauci etiam bonum effectum frigore jam oborto observarunt. — Calore febrili durante per mediam horam maxime valere Opium asserit Lind, omnique media hora dandum, quo calorem et cephalalgiam tolli, moxque sudorem procurari, et somnum subsequi observat; huic adstipulatur Cullen. Eodem in stadio valere asserit Guarene (in Römer Ann. der AML. I. Stück 2.) pro symptomatum lenimine, atque paroxysmo abbreviando. Lindii observata suis auxit Hegewisch (in Hufeland et Himly Journal 1809. Stück 10). Nec solum calorem et cephalalgiam, sed imo deliria, sitimque minuere, minusque procuranda Cinchonae pondus requiri, nec subsequae obstructionis aut hydropis phaenomenon accedere asserit Pharmacopoeae edinburghensis commentarius (Neues edinb. Dispens. I. 452). — In intermissione raro datur; at Opium tunc exhibuit in intermittenti americana Jackson cum Serpentaria, antimonialibus, imo cum Cinchona et Ferro, cum pulsus parvus durus, vel minimus, cum cutis sicca vel sudore tenaci oblinita, vel dum

nervositas adfuit. Observatio quidem docuit, illud exhibitum mitigare, abbreviare sequentem paroxysmum; cum tamen Opii sit, epirrhoeam cephalicam producere, cavendum esse ab eo exhibendo, dum epirrhoeae tales periculosae fieri possent, suadet Jahn (II. 218). Aliam timuit sequelam Opii dati Störck: obstructionem, inflammationem, soporem; nervosis quidem symptomatibus praesentibus Opii usus feliciter se Cinchonae uncia una febres intermittentes curasse narrat. Tandem Donaldus Monro (in M. med. II. 177.) agrypniam in febrium intermittentium fine praesentem Opio bene sufferi, et in febribus pertinacibus, quae cortici peruviano resistunt, non spernendum esse remedium Opii extractum observat Hermann (Cynos. M. med. I. 630).

2. Febribus gastricis, inflammatoriisque generatim Opium non convenit: gastricis, biliosis etc. non nisi post evacuationes requisitas, sufficienter procuratas, nervosis vero oborientibus symptomatibus: cuti sicca, arida, tussi, dyspnoea etc Hopfengaertner prodesse notat. Inflammatoriis febribus decurrentibus absit Opium: Synocha enim pura, cum epirrhoea, delirio primum debellationem requirit irritationis excedentis: venae-sectione, evacuatione primarum viarum, nitro, frigore; his praestitis Opio locus esse po-

test, si systema sensile adhuc affectum videtur; aut pulsu adhuc duro, celerique perstante, spastico, contracto, cuti arida, lingua spurca, urina turbida, encephalo affecto (Jahn II. 224); aut pulsu evadente molli, tardo, cuti humidula, lingua puriore, urina limpidiore, sensilitate tamen excedente, unde dolor, inquietas, agrypnia accedunt. Si febris inflammatoria a perspirabili suppresso originem trahit, Opium valere judicant Auctores Commentarii Pharmacopoeae Austriacae (Erl. öster. Pharm. I. 348), dosi pro perspiratione augenda, quod tamen consilium initio febris talis lenioris ad rem esse videtur.

3. In typho recentiores primum ausi Opium adhibere, interque hos eminentiores Campbell et Jackson. Timuit enim aetas medicorum transactorum Opii in typho vim quam redissolutoriam alii, alii rectius epirrhoeicam et obstipantem credidere; hinc Jahn solum in febribus nervosis puris adhiberi svadet, dum abest epirrhoea cephalica et orgasmus; in febribus nervosis Opiata fortiora valde esse pernitiōsa, licet agrypnia et inquietas ea postulare videantur, observat Huxham (Op. II. 84). Campbell hicce campum aperuit, Opium exhibendum svadens, nec a contraindicationibus timendum, dum affectio sensorii spastica, dum cerebrum affectum id expetunt;

hunc audaces ut plurimum Angli secuti, atque caterva Brownianorum, indirectam debilitatem sic debellare conantium. Opium in typho valet, dum cerebrum sensilitatis auctae signa prodit, dum nervosi systematis spastica affectio dominatur. Ea quidem se pandit inquietudine, voluntate surgendi, agrypnia, delirio hilari (leni, sine epirrhoea Jahn) cum loquacitate, oculis scintillantibus (Voigtel II. 2. p. 272), aut spasmis, doloribus, subsultu tendinum, artuum frigore, tremore, organis sensuum externorum sensilibus: photophobia, oculis torvis, opacis, facie collapsa, distenta, cuti arida, urina pallida, pelucida; imo emesi, aut diarrhoea; pulsu inter haec cito, parvo, spastice contracto (Richter. Voigtel. II. 2. p. 272. Jahn II. 222.). Hortum delirium ferox eum vocat statum, quem depingit inquires, delirium continuum loquax, clamorosum, cantus, voluntas discedendi, facies iracunda, oculi scintillantes, pulsus durus tensissimus, cutis et lingua siccae, urina tenuis, limpida, atque subsultus tendinum (hunc tamen Jahn non satis circumscripta imagine descriptum asserit!); eum post sublatam plethoram atque primas vias, Hortum adgreditur, dumque abest inflammatio viscerum, dato omni tri-quadriflorio grano semis vel integro Opii solius, vel cum Ammonio, vel Moscho. Jahn (II. 243) tunc svaedet hac uti formula:

R. Sacchari albi grana decem,
Salis Cornu Cervi grana duo (—quinque),
Opii puri grani quadrantem (granum),
m. d. pro dosi.

Si in Acmi loco stuporis adsit acies intellectus et oculorum, loquacitas, hilaritas et moestitia cito alternans, quae intra diem septimum et nonum erumpit in delirium apertum, cum facie rubra, oculis sanguine suffusis, motibusque exaltatis, tunc Hoven exhibuit Opium cum paucis Tartaro stibiato, aut interdum hunc postremum solum, vesperi Opium solum. Audacissimus Chisholm in typho nervoso cum magna irritatione et debilitate intra nycthemerum Opii grana viginti quatuor, et centum viginti Calomelis exhibuit. — Febres nervosas lentas ut plurimum post 40 dies finientes, delirio stipatas puerili, debilitate magna, convulsionibus, pulsu tardissimo saepe bene curari refert Cullen Opii dosibus majoribus repetitis; in stadio summo Cinchona accedat. Hinc mox producitursomnus, alvus, diaphoresis, augentur vires corporis, animique. — In typho americano s. febris flava Jackson qua remedium principale laudat et exhibet Opium: in morbo indolis putridae, cum anxietate, nausea, vomitu, cum vino copiosum, usque ad crapulae hi-

laris effectum; in morbo indolis nervosae, cum vino, cinchona, et balneis tepidis; in morbo indolis inflammatoriae cum parco Tartaro stibiato et Sale Ammoniaco. Alii hicce cum Hydrargyro jungunt, cum febris flava sit typhus cum hepatis adfectione inflammatoria, ad principia Hamiltoni. — Febris gastrico putridis conducit Opium in fine morbi, praecipue si accesserint forte diarrhoeae pertinaces, debilitantes (Jahn II. 219). Male vero convenit in stadio primo, sordibus putrescentibus vim morbi augmentibus Opio retentis; bene in stadio secundo, delirio continuante, agrypnia locum stuporis occupante, hilaritate, cum pulsu parvo, celeri, duro, cuti sicca, urina pallida (idem II. 220). In Peste valere, donec functiones vitales bene vigent, pulsu et respiratione minus laesa, alias tamen nocere, jam observat Willis (Pharm. p. 169). Imo osor in nervosis Opii Huxham subjicit: Opiata in febris putridis, malignis, petechialibus, si danda sunt, parca dosi danda esse, praecipue cum Camphora sudorifera praestantissima (Op. II. 116. 117). In febris malignis, uti amphimerina, dum aegrotus noctu exacerbante febre corripitur, velut intercalare optimo effectum Opium exhiberi observat Linné (Amoen. acad. VIII. 297). — Typhus Scarlatinae junctus Opium requirit, si adsit agrypnia, anxietas invincibilis, continuatae emeses aut diarrhoeae, cutis siccitas,

musculis tamen non nimium laxatis, bene junctum Camphorae, Moschoque (Voigtel II. 2. p. 272). — Typhus morbis cutaneis junctus, praecipue variolis quid expetat vide sub Articulo exanthematum pertractatorum. — In typho non valere Opium, praesente statu inflammatorio: pulsu comite duro, tenso, sopore, oculis splendentibus, delirio vehementi, urina limpida, rubra vel fusca, siti et sudore copioso, sentit Jahn (II. 222), symptomatibus non apprime digestis. Valere tamen Opium in febre asthenica cum inflammatione topica praecipue praesentibus doloribus fortibus, atque organis nobilioribus sensilissimis; quum ad gradum morbi effectusque inde observatos dosi media exhibetur, in - et externe, cum Camphora, Ammonio carbonico, Vino, observat Voigtel (II. 2. 274). Idem in statu febris nervosae versatilis, supra descriptae, ab Opio cessandum esse svadet, si augeatur somnolentia, somnus evadat stertorosus, accedat stupefactio, delirium taciturnum, sudor colliquativus, insensilitas, pulsus tardus apoplecticus aut minimus (l. c. 272). Dari epidemias, quae Opium non ferunt testatur latissime vastans typhus bello Annorum 1813 et 1814 productus, in quo parvae jam doses apoplexiam induxere, mortemque accelerarunt — exhausta alioquin per miseriae belli omnigenas vitalitate belligerantium (Jahn II. 220).

4. **Inflammationes** vastum campum aperuere, plurimumque splendoris Opio adtulere. Periodus haec inchoat cum Hamiltoni experientia ab Anno 1766 usque 90-mum capta. De methodo Hamiltoni paucis agere instituti rationem plurimum dilucidabit. Primum ea post experientiam Annis octodecim captam publici juris facta est in A. Duncan Medical Commentaries, Londini 1785 vulgaris, sub titulo; von einer neuen Methode, entzündliche Krankheiten durch Quecksilber und Mohnhaft zu heilen. Observavit nempe Anglus sagax vim Opii antiphlogisticam, cum doloribus Syphilidis, Variolarum, Hepatis et Ophthalmiae illud opposuisset; methodo dehinc ea usus est in inflammationibus, ut post yenaesectiones et evacuationes holum e Calomelis granis quinque, et Opii grani quarta parte, aut grano integro omni sexta aut decima hora exhiberet, potu simul copioso mucilaginoso propinato. Horis 48 saepe faustus attingebatur finis. Diaphoresis augendae causa interdum adjecit Tartarum stibiatum, aut Camphoram. Fracta inflammatione Cinchonae locum dedit (vide Richter's chirurg. Bibliothek IX. p. 428—431). Alii nunc virum praestantem secuti sunt Angli, ut adeo his hunc debeamus articulum, — Inde edocti Opium generatim valere scimus in inflammationibus asthenicis, mixtis, praecipue systematicis lymphaticis, rheumaticis, inflammatio-

nibus per venaesectiones depressis. Status inflammationis typhosae decurrit cum pulsu parvo, contracto, spastico, tenso; cuti sicca, male colorata, sudore nullo aut tenaci.

Contra Phrenitidem et Paraphrenitidem suum Hamilton exhibuit et laudat mixtum; Bell loco ejus praesente dolore vehementi, et inquietudine magna exhibuit mixtum e vini Antimonialis Huxhami partibus tribus et tincturae Opii parte una. In Phrenitide valere Linneus asserit. Phrenitidi puerorum variolosorum opposuit Sydenham pargoricum e Laudani liquidi guttis 18 ad 25, vel Syrupi de Meconio unciam unam usque sesquialteram. Post tractationem antiphlogisticam, morbo diuturno licet, nec tamen declinante, symptomatibusque adhuc efferis Sydenham observavit aegrotum facile liberari morbo per narcoticum largiori dosi exhibitum, idemque non ante diem duodecimum, optime decimo quarto exhibendum censuit; utebatur Laudani londinensis grano sesquialtero, liquidi guttis sedecim (Op. I. 69. seq). Valet Opium 1) in Phrenitide, dolore licet absente (quem Jahn rariorem observavit), cum eundem irritatio sensorii et nervorum spastica minuat, impressiones externas impediatur (Jahn II. 225). Opii vis tum stimuli peregrini inflammationem retinentis, effectum tol-

lere, dein hoc sublato sanguinem aliorum, ad aequilibrium redire observat Vogel. — 2) Opium Phrenitidi qua cardiacum praestantissimum opponitur, symptomatibus continuo tramite decurrentibus: pulsu debili, parvo, tremulo, viribus minutis, subsultu tendinum, inquietudine urgentibus, ad mentem Vogelii. — 3) Morbo vero imminuto, systemate tamen nervoso efferato, unde agrypnia, deliria intercurrentia, facie licet pallida, pulsu molli atque composito, oculis mitibus, animo pacato illud idem valet remedium, teste Vogel.

Anginae inflammatoriae bene opponi Opium, Hydrargyro junctum, experientia testatur; magis tamen Opium confert, imo remedium praesentaneum morbi esse observavit Conradi, si is minus inflammatorius indolem potius sequatur nervosam, spasticam, si cito ingruat, sensu quasi epistomii collum occludentis, deglutitione laesa; aut si indolis mucosae, polyposae fuerit. Anginae quidem pectoris, alioquin morbi dirissimi, symptomata: tussim, dolorem, spasmum sola opiata lenire Heberden auctor, cui accedunt Macqueen (in London med. T. V. n. p. 126), Temple (in prakt. Arz. Kunde übers. von Michaelis p. 398) et Elsner (über die Brustbräune 1778).

In Pneumonia Opii utilitatem multis exponit Horn (über die Erk. u. Heilung der Pneumonie p. 210 seq). 1). In Pleuritis quidem initio et acmi inflammationis vigente plurimi non convenire statuunt auctores (e. g. Jahn), attamen in periodi primae dolore summo, simul cum venesectione, fomentisque, Opium adhibuit, omni trihorio ad granum semis versatus Sarcone (von den in Neapel umgehenden Krankheiten I. 114). 2). Post fractam quidem per venaesectiones, salia depletia, antiphlogistica plurimi auctores secure adhibuerunt Opium: pulmonibus nempe depletis, pulsu molli libero; adhibuit illud hoc in statu jam suo tempore Huxham inter primos, scopo doloris ac tussis leniendae, plurimis in casibus saluberrimam ejusdem efficaciam expertus (Op. II. 228. seq); uni suorum aegrotorum intra nycthemerum ter detraxit sangvinem, simulque Opii porrexit soluti grana septem, atque Diacodii uncias duas usque tres (ibid. 229); urgentiori sic symptomati, tussi quidem violentae optime sic prospicere ratus (II. 183). Inflammatione vero per venaesectionem immittuta suum Hamilton exhibuit mixtum. 3). Post adhibitam methodum antiphlogisticam, persistente nihilominus pulsu duriusculo, parvo, tussi sicca, saepius impedita, sputis sangvinolentis, respiratione laboriosa, doloribus magnis punctoriis, cuti sicca, aut perspirabili tenaci tecta, urina

tenui, — primarius Opio est locus, praecipue antimonialibus juncto (Jahn II. 226. — Vogel). Doloribus summis suppressaque hinc tussi urgente adhibuere Thilenius et Vogel. Opii granum unum Olei Lini unciis quinque ad sex dilutum exhibuit Haen. Sequela salutaris observatur sensim oborta quiete, tussi minuta, respiratione liberiore atque sudore; haec si non subsequantur Opium potius obesse affirmat Cullen. 4). Febri praecipue asthenica comite inflammationum pectoralium indicari Opium asserit Horn, initio quidem dosibus minutis: omni sesquialtera hora adulto porrigendam quartam grani partem, aut e mixti partis unius tincturae thebaicae cum partibus duabus liquoris anodynii mineralis Hoffmanni guttas decem usque triginta. Eandem mixturam exhibuit Jahn, imo tenellis mitiori Ipecacuanhae, aut actuosiori Hydrargyro junctum Opium (II. 227). Inflammationi typhosae, rheumaticae, si venaesectio nec febrim atque dolorem minuat, Hamilton exhibet omni sexta hora Calomelis grana quinque, Opii granum unum pro dosi. Inflammatio indolis spuriae, praecipue typhosae exigit consortium Hydrargyri, Stibii, Camphorae, Senegae. Pueris imo variolosis et gravidis suum mixtum propinavit Hamilton.

Gastritidi et Enteritidi ut plurimum salia atque acida antiphlogistica mi-

nus conveniunt, ob sensilitatem organi eferam; tunc praecipue praesente pronitate in debilitatem indirectam praesto sunt emollientia mucilaginoso, quibus remediorum alioquin mitissimis accedere interdum possunt Hydrargyri atque Opii praeparata juncta. Utrique morbi formae opposuit Heberden salia atque opiata simul, formula sequente :

R. Extracti catholici grana viginti quinque.
Extracti thebaici granum unum et semis.
Mercurii dulcis grana quinque.
misce f. Pil. granorum decem.

Sydenham vesperi opiata, et insequentem mane purgans exhibuit, sagaci sua methodo nixus alternandi, aut submittendi purgantia opiatis. Extractum Opii aquosum cum mucilaginoso, oleosis et melle laudat Vogel, imo vero nec ab Opio toto, ejusque resinosa parte timet Jahn (II. 220); Camphorae et Hydrargyris jungi svaedet Hamilton (in edinburg. med. Comm. Vol. IX.). Multa certe ab Opio salus exspectanda enteritidi, dolori inflammatorio, et sensilitati abnormi minuendae; juvamen eidem accedat e clysmatibus emollientibus et venaesecione, ad mentem Sydenhami, Swietenii; plurimum sic proderit inflammationi ingruere volenti (Erl. Oestr. Pharm. I. 348). Inflammatione remittente Camphorae jungi

suadet, pro partium affectarum sensilitate deprimenda, Jahn (II. 229).

Hepatitidi Opium non deest, nec desit, utilissimum compertum! Indiae utriusque ejus adplicationem copiosam fecere, per secula, donec europaeus casu fere adhibere ausus est cum Mercurio dulci Hamilton, at evigilati jam fide et strenue eodem uti valemus. De Opii apud Indos orientales usu hic audiamus Bontium Archiatrum olim javanensem (de medic. Indorum p. 4. et eadem fere repetentem p. 23): „frustra medicinam faceremus in Indiis, dysenteriae, cholerae, febribus ardentibus, ac reliquis biliosis affectibus orgasmio turgentibus, — si Opium nobis non esset hic prospectum. — Insignis est oscitantia, quae in abusum medicamenti dicuntur, in usum nobilissimi inter omnia pharmaci velle referre“. In Hepatitide ergo, post largam venaesectionem, simul cum topicis, Opium adhibitum optime supprimit stimulum ad tussim perpetuum, respirationem impeditam, alvum ac tenesmum crebriores, non tamen juvantes (Jahn II. 229). Hepatitidi chronicae, atque infarctibus visceris hujus magni jamjam incipientibus bono cum effectu doses Opii parvas svadet P. Frank.

Nephritis, Cystitis atque Metritis idem exspectant, data indicatione, remedium. In Nephritide a calculo renum oborta, post venaesectionem, enema et vomitum exhibuit Sydenham Laudani guttas viginti quinque (Op. II. 559.); idem feminae hystericæ sola propinavit paregorica (II. 420); Nephritidi a podagra retrocessa, caputque simul tentanti opposuit Laudanum suum liquidum, cujus guttas viginti pro haustu exhibuit (II. 474); idem summus medicus observabat omnes fere calculo renum laborantes a podagra diuturniore Nephritidi obnoxios post vomitum guttis viginti quinque Laudani sui liquidi bene curari (ib. 475). Nephritidi calculosæ bene opponi Opium refert Tralles. — Metritidi iterum suum opposuit mixtum Hamilton, illudque idem præsentibus adhuc post venaesectionem doloribus spasticis laudat Vogel et Jahn (II. 58).

Opium contra inflammationes a magnis vulneribus (operationibus majoribus: calculi, amputationibus etc.) ortas longo aevo adhibitum laudabatur ab his, culpabatur ab aliis. Pro sensilitate imo timore minuendis usum hunc suadet Cullen, et cordatissimi adhibuerunt Chirurgi; ante et post Operationes momentosas momentosum pronunciat et exponit Rich-

ter; duabus ante Operationem horis sesqui-
alterum granum, post Operationem itidem
duabus horis tres grani quartas exhibendas
notat Mellin. Opium in vulneribus plus con-
tra inflammationem oriundam valere, quam
venaesectionem auctor est observator Brom-
field; in nosocomio edinensi Scotiae post Ope-
rationem calculi aliquot doses Opii exhiberi,
scopo dolorum leniendorum, atque suppara-
tionis promovendae narrat Ebeling; ingen-
tibus dosibus exhibuere similibus in casibus
Sabatier atque Billard: hic quidem Laudani
liquidi Sydenhami guttas centum pro dosi,
ille intra nycthemerum Opii grana triginta
sex. At jam de indicatione rationali specia-
tim quaerendum. Sensilitati soli deprimen-
dae studendum, si vulneribus insint peregrina
, mechanice irritantia uti ossicula,
acus, globi; aut si tendinibus laesis,
ab inflammatione sensilissimis, medendum
sit. Valet hic Opium aliquot post vulneratio-
nem diebus: asthenia indirecta suborta; va-
let tandem dolore, inquietudine atque anxie-
tate intensis, absente tamen inflammatione to-
pica atque universali. Non tamen generatim,
quod aliqui suadere conceperunt, valet; con-
tra auctorem Materiae medicae Heckeri no-
mine inscriptae (Hecker's *Arzneimittellehre*
1814), talia asserentem iuste invehitur editor
Materiae medicae Jahnii (Editionis quartae
II. 230) Erhard: nocere quoque posse hoc in
casu

casu Opium. Absit enim procul usus Opii praesente inflammatione topica, et universali, cum hanc et tensiones, atque anxietates augere valeat; si vero inflammationis oppresor exstet, facile metastases ad viscera quaeque interna causat. Hic quidem Erhard e copiosa experientia sua valere asserit dictum Brunonis ferocitantis: Opium mehercle non sedat! Nec quidem Opium nostro in casu valet praesente sub febris typhosa ephirrhoea cephalica, quae alioquin communiter obtinet, ad mentem Jahn (II. 261).

Inflammationibus erysipelatosi felicitè oppositum saepe fuit Opium cum Camphora, stibiatis atque Ipecacuanha. Inflammationes catarrhales idem debellat post imminutam per venæsectiones et vesicatoria phlogosim, indeque relaxatas glandulas bronchiales: tussim enim et leniet et mucii soluti evacuationem promovebit, et diaphoresim antagonisticam augebit. Adduntur tunc justo consilio antimonialia et Scilla.

Ophthalmiae per Opium curatio periodum inchoavit anno 1780, quo Jacobus Ware observationes de Ophthalmia (remarks on the ophthalmy etc.) Londini edidit. Opium Ophthalmiae bene opponi antiquitus notum

fuit; Dioscoridis verba (IV. 60. p. 745) haec sunt: Opium inflammationibus oculorum cum torrefacto ovi luteo proficit. Galenus tamen in usum ejus invehitur, observans: ex Opio collyria multis detrimento fuerunt, adeo, ut debilem oculum reddiderint, et visus hebetudinem (amblyopiam) induxerint (de compositione medic. l. 2.). Opium, quid in morbis oculorum agat, speciose atque theoretice profert Graefe: agere in organa nervosa altiora (cerebrum puta et sensuum), sensationem ab intus extrorsum versus impellere, secretiones phlogisticas augere, vegetationem corneae incitare (ob resinam!?). Valet ex observatis Opium in Ophthalmiis asthenicis, chronicis, typhosis, praecipue vero cachecticis, omnium maxime scrophulosis, arthriticis, venereis; in ophthalmiis serosis, aut siccis, generatim torpiditate organi praesente; tandem Ophthalmia a causa externa. Praecipue valebit oculis sensilissimis, dolore a motu et luce, illachrymatione, incitatione, pupillaque coarctata (Jahn II. 226). — Character morbi ab origine inflammatorius deprimendus venaesectionibus, hirudinibus, fomentis, atque sumtis remediis antiphlogisticis; hoc sic depresso, aut characterem mox ab initio typhoso praesente, capite libero, pulsu tamen irritato, febricitante interna porriguntur remedia ex Opio cum Calomele, cum Tartaro stibiato, quod effectum

saepe optatissimo observat fieri Jahn (II. 226).
Curae internae comes sit Opii usus externus,
qui tamen saepissime solus profuit. Corrigens
aliorum remediorum exstat, praecipue mer-
curialium (Oxydi rubri, aut Muriatis Hy-
drargyrici). Fomenti forma tepidi adhibetur,
ni relaxatio contraindicet, aut unguenti pin-
gvis forma inungatur arthriticis, aut proces-
sui vegetativo immutando solutum oculo in-
stilletur Opium (Graefe Repertorium p. 44). —
Chemosi multum dolorosae Janin oppo-
suit aquam colatam, ex aquae rosarum unctis
sex, atque massae pilularum de Cynoglosso
drachma sesquialtera. Contra Ophthalmiam
inflammatoriam a causa externa laudatur for-
mula sequens, emolliens, sopiens:

R. Infusi radicis Althaeae tenuis uncias tres

(e radicis drachmis duabus

cum Aquae Unc. tribus)

Opii puri grana duo

misce exactissime terendo.

Sig. Adplicetur oculo tepide.

Ophthalmiae chronicae prodesse
poterit Opium; dolore nempe partim, inflam-
mationis gradu minuto, ipsa tamen persistenti-
te, qualis saepe accedit scrophulosis, post
exanthema variolosum, miliare, post opera-

tionem cataractae. Hic inclaruerunt methodi variorum, at praecipue Ware, van der Haar, atque Else. Ware tincturam thebaicam Pharmacopoeae Londinensis primus expertus est, quae Cinnamomi atque Caryophyllorum aromate acuata Vino hispanico solvente constat, misso tamen Croco, ad hanc formulam:

R. Opii puri uncias duas

Cinnamomi

Caryophyllorum ana drachmam unam

Vini albi hispanici uncias quindecim

M. digere per dies septem

Colatura d. u.

S. Tinctura thebaica Pharm. londinensis.

Hujus guttas duas ad tres bis ter per diem instillare oculo adsuevit Ware (Laudanum Sydenhami liquidum substituunt alii): oboritur dolor, et lachrymatio post pauca minuta cessans, quibus post aliquot dies subsequitur morbi sublatio. Observat Ware Opium solum nil efficere, verum Laudanum aromaticum juvare! Alii tamen tincturam Opii aromaticam nimis, atque justo longius stimulare, quod sensilitate aliqua praesente non mirum videbitur, ita, ut quidam effectum a depletionem per illachrymationem orta derivare contendant,

aliaque plane spirituosa similiter actura exspectent. Praeplacet hinc Else methodus (in Hunczovsky med. chir. Bemerkungen vulgata), qua tinctura thebaica miscetur guttatim aquae rosarum, dosi ejusdem sensim aucta. Si ab Opio sic adhibito nullum observabimus effectum, venaesectio, hirudines atque purgantia interponentur, quibus Opii iterum succedat virtus. Hic Opii doses internas lautiores ad mentem Haar exhibitae juvant. Opii hac in Ophthalmia vim juvent zincina, mercurialia, plumbata, tinctura Stramonii, Mucilago seminum Cydoniorum. — Ophthalmiae serosae infantibus adeo communis penitior ratio secundum van der Haar habenda est. Decurrit ea palpebris suppurantibus, bulbi oculi doloribus pungentibus, spasticis, lachrymatione spontanea, lucis stimulo augenda, subsequa saepe obscuritate corneae, imo coecitate. Haar observat nocere venaesectionem, vesicantia, purgantia, frigida topice adhibita; observavit medelam a pulve ex aquae purae unciis quatuor, tincturae Opii drachmis duabus, tribusve, cum mica panis albi super linteo topice adplicita: remedium sit internum simultaneum decoctum Cinchonae et vesperi lene paregoricum. Dolore sensim minuto, oculis tamen pure tenaci illitis, adhibeatur palpebrarum margini illiniendum unguentum mercuriale rubrum (ex uncia axungiae porcinae una cum Hydrargyri oxydati

rubri drachma una); interne porrigantur antiscrophulosa, praecipue glandulis tumentibus, vesicatoria ad nucham et brachia. — Psorophthalmia pertinax comparens palpebris conglutinatis lympham tenacis duraque, glandulisque subobstructis Conrado paucas intra dies sanatur Unguento suo ophthalmico, ex ungenti rosati uncia una, Florum Zinci drachma semis, et Opii granis sex; aut paucis Opii granis ad olei pingvis unciam semis additis, quae tepide adplicentur. — Palpebrarum inflammationi saepe profuit aqua ophthalmica Conradi, e Muriatis Hydrargyrici grano uno, tincturae Opii drachma semis, et aquae rosarum unciis sex, A vase tandem sangvifero e conjunctiva versus corneam decurrente Laudanum liquidum instillatum intra paucas dies liberari oculum, idem notat Auctor. — Pannos, maculas corneae ab inflammatione partiali chronica productas interdum suffert Opii solutio instillata, aut penicillo inuncta. — Staphyloma subvariolarum decursu, aut post has ortum, cono inter palpebras prominulo Laudani liquidi inunctione per octo usque quatuordecim dies continuata saepius sublaturum fuit: resorptione aucta, obliteratione vasorum producta atque abhinc impedita vegetatione abnormis formati (Graefe p. 50). At Staphyloma inveteratum, durius, cartilagineae fere consistentiae non sic, imo nec majus, dum uvea ad corneam

introrsum intumescens adnascitur, suffer-
tur Opio, quo tamen deformitas minuitur. —
Uveae procidentiam post Cataractae
operationem abortam Laudanum instillatum
tollit, qua stimulus lachrymas ciens e Conra-
di, qua vegetationem minuens e Graefe (p.50):
melius tamen operatur a Janino laudatus mu-
rias stibiosi (Butyrum Antimonii). — Spas-
mum palpebrarum infantum scrophulosorum,
verminosorum, porrectis simul interne por-
rigendis, bene suffert aqua plumbata Opio
mixta sindoni tepide infusa, ad formulam
Conradi sequentem:

R. Aquae Rosarum uncias quatuor,
Sacchari Saturni grana quinque,
Opium puri grana octo.
Misce terendo.

Jam ad calcem inflammationum de
Rheumatalsiis loquendi locus est. In
Rheumatismo acuto febris inflammato-
ria multum fervente absit Opium, at febris non
multum inflammatoria, nec intestinorum sta-
tu contraindicationem sistente, Opium rheu-
matismi hujus infallibile remedium salutis
Scudamore. Inflammatorio statu (Sthenia)
per venaesectiones, evacuationes, alias depres-
so Opium accedat, at junctum aliis antiphlo-
gisticis: Nitro, Mercurio dulci, Ipecacuanhae,

diaphoreticis, optime antimonialibus et Camphora, quo scopo iterum valet duplice Pulvis Doveri. Sydenham post venaesectiones duas, tresve mane exhibebat lene catharticum, et vesperi dosim lautam syrupi de Meconio, ut orgasmum et periculum recidivae supprimat (I. 275. II. 321). Idemque observat Opiata in vigore morbi non valere (I. 275), ante venaesectiones data plures venaesectiones necessarias facere (274), imo nec juvare (II. 221). At dolore adeo nimio, ut febris producat anxietates, perspirationis suppressionem, tunc etiam inflammatione praesente doses Opii largae juvabunt, nec diaphoresis aucta (Jahn II. 235). Paulizky, qui plures super cura rheumatolgiarum observationes promulgavit (med. prakt. Beob. I. Samml. 39. II. Samml.) Opium semper Camphorae, Ipecacuanhae, stibiatis mixtum exhibuit (I. 39), imo solum dolorem augere notat, curare vero, si grana ejusdem duo cum Ipecacuanhae granis quatuor repetito exhibeantur (II. Sammlung). — Opium tandem ad finem vergente Rheumatismo acuto necessario in usum vocandum esse observat Jahn (II. 235), scopo sensilitatis deprimendae, quietis procurandae, et hinc incitationis augendae, tunc Desgranges Camphoram addit; saepe amara, imo lenia acida bene jungi auctor est Jahn (II. 235).

Rheumatismus chronicus, absque febris inflammatoria decurrens potius, quam Opio, curatur roborantibus e Jahnii mente; valet tamen remedium nostrum praesentibus doloribus fortibus, periodice, maxime vesperi exasperatis, tunc idem auctor sub periodo exhibendum svadet (II. 235). Fothergill Opium exhibuit leni dosi, stibiatis junctum, Lewis solutum adhibuit Opium sequente formula:

R. Opii puri grana sex,
Tartari stibiati grana octo,
solve in

Spiritus Vini tenuis unciis tribus.

M. D. S. mane et vesperi uno
cochleari sumendum.

Scudamore Opium indicatum asserit in Rheumatismis tarde ingruentibus, reactione tarda, illudque in- et externe adhibendum esse statuit cum regimine diaphoretico. — Rheumatismis vagis optime opponitur Opium, cum causa morbi videatur esse sensilitas atque debilitas, haecce quidem maxime systematici affecti, cui hypersthenia vix adest: datur tunc cum Camphora, Moscho, tinctura Quajaci volatili, Quajaci resina nativa, Oleo Cayeputi, Aconito, Ipecacuanha, stibiatis et mercurialibus.

Lumbaginem qua Rheumatismum musculorum, aponevrosium tractat Scudamore purgantibus atque simul pulvere Doveri,

Ischiaticam nervosam, morbi nervi ipsius, Pringle Rheumatismi instar pertractavit, Fothergill Mercurio dulci, stibiatis et Opio mixtis, Haauw Boerhaave vesperi exhibito Opii grano, aut clysmatibus opiatis, et Opii usum in Ischiatide a causa syphilitica plurimum laudavit primarius hoc super obiecto Auctor Cotunni.

5. Exanthematicis morbis diu insigni emolumento Opium opponi, observatum habetur. Angli Sydenham et Huxhamiam hoc in curriculo stravere recentioribus Haen, Mellin, Vogel, aliisque. — Variolis humanis primus hic est locus, alioquin et serie morbi, et difficili curatione. Sydenham assertit: „Morbum hunc adeo impense „efflagitare narcoticum, ut in eo rudis sit oportet et parum observationi deditus, qui aegros „suos subsidio tanto defraudat“ (Operum t. 2. p. 376). Idem tamen sagax observator Opium minus convenire infantibus, tenerioribus nempe, nec adeo accensis morbo, ut illud minus bene ferant, saepeque eo somnolenti evadant; bene potius convenire juvenibus, prae-

sentibus pustulis mali moris atque phrenesi (II. 377. et 372); nec convenire, si diarrhoea hic saepe necessaria adsit, quae facile supprimitur (I. 155). Cum Variolae vaccinae humanas necdum exturbaverint, medico curandum est, quod Politici non expurgarunt. — Primarius et momentosissimus Opii hic dandi auctor est praecitatus Sydenham. Opiata is asserit valere (narcotica nominat) pro ebullitione sanguinis imminuenda, et sustentando critico ptyalismo, pro manus ac faciei tumore rectius derivando (I. 155). Recentiores quidem auctores Tralles atque Tissot (febri suppuratoria decurrente) ab Opio timent, ob dispositionem in putredinosum statum, cutis tensionem inflammatoriam, somnolentiam, obstipationem, imo ptyalismum productum! unde Rosenstein eo in statu acidum sulphuricum tenue exhibet. Sagacior vero haec etiam novit, imo cordatior non timuit Sydenham; subjungit enim loco praecitato: ptyalismum initio quidem ad horas suppressi, mox tamen redire; imo ptyalismum undecima morbi die, cum periculo suppressum, paregorico redire (I. 155. II. 376), adnotabat quoque: Salivam parciorem, rectius tamen excoctam excerni (II. 276). Insuper Opium generatim valet, paroxysmis sub vesperi horam sextam, septimanve vehementioribus mitigandis (I. 156); tandem dysenteriae, diarrhoeae, vomitui, imo doloribus nimis minuendis (II. 279. 233).

atque inquietudini, vigiliis, phrenesi minuenda (I. 152). — Quo instadio expediat porrigere Opium audiamus. Pauci Opii vim omnin stadio bonam salutant, praesentibus Variolis aut mitibus aut difficilibus, quorum praecipuos agnoscimus Sydenham et Haen: secuti Hufeland, Reil, et Klees. In statu tamen solum spastico, motuum anomalorum valere generatim observat Haen, et usum Opii cum distinctione status valere plures asserunt: febre nempe typhosa variolis ut plurimum malignis juncta convenire Tralles enunciat, febris athenica spasmisque cutaneum formatum erumpere impredientibus, aut variolis jam formatis collapsis, confluentibus, gangraenescensibus locum esse Opio observat Hufeland (von den Blattern p. 137.) quibus accedunt Reil (Memor. clinica II. 1. p. 62), et Klees (in Hufeland Journal IV. p. 447). Initio morbi nervis laesis, vitalitate depressa valet Opium, pulsu nempe debili cito, contracto, cuti palidè, inaequaliter rubente, hinc illinc coerulecente, respiratione anxia, cita, suspirante, inquietudine, animi deliquiis, siti nulla, calore majore, dolore abdominali, hyperemesi, diarrhoea, convulsionibus. Opium nunc datum cutis calorem, humorem, aequabilem pustularum eruptionem producit, pro se aut cum mercurialibus, antimonialibus, spiritu Mindereri aut fortioribus, tartaro emetico, Camphora, aut secundum Hufeland

cum floribus Zinci, dosi qua emesim non producunt (Jahn II. 251). Valet adeoque Opium in stadio eruptionis ad mentem Sydenhami, Mortoni, Youngii, Huxhami, Werlhofii, Haenii, Swietenii, Störckii, Hufelandii, Reilii, Jahni, Voigtelii, dum Variolae non normaliter efflorescunt, spasmis, convulsionibus stipatae, doloribus et emesi accedentibus; omnium maxime ad mentem Mellini, dum partim jam evolutae iterum desides subsident, quo in statu Cinchonae vim adjutricem sibi expetit Opium. In stadio inflammatorio (secundo) morbo nimis impetuoso, opiata vespertina quinta data conducere auctor est Boerhaave (Aphor. p. 528), qui Opii granum unum pro dosi exhibuit. — Plurimi tamen Auctores stadio suppurationis Opium adesse debere meminerunt. Praedicatur tamen, Tissotium invictis argumentis probasse, Opium in febre Variolarum suppuratoria damnosum esse! At alios, fere omnes audiamus. Sexta ab invasione nocte omni vespere usque ad diem decimum septimum dandum esse Opium svadet Sydenham (II. 274), et quidem vespere hora sexta ad septimam (I. 156), die undecima vero hora quinta, nova nempe quasi aegritudine urgente (II. 375). Anodyna necessaria esse in Variolis, speciatim crisi ingruente et praesente, pro inflammationis et doloris lenimine, asserit Huxham, et ea imprimis largiore dosi exhibenda esse

ante noctem (seu exacerbationis tempus): hoc in casu Diacodion non nisi infantibus sufficere, calore majore urgente acida, salina adjungenda, feбри vero debiliore alexipharmaca idem observat (Op. II. 146). Si hoc in stadio Variolae fuerint crudae, ichorosae, coctione difficiles, pallidae, cum pulsu debili, urina tenui, aquea, tunc opiata indicari idem effatur, dosi, qua quietem, non stuporem concilient: „Nulla dantur remedia, quae tam efficaciter humores tenues, acres inspissant, eorumque irritationem atque defluxum avertant, et pustulas maturent, quam Opiata, conveniente ratione data“ Profecto, subjungentis sunt verba, praesentibus pustulis copiosis, multumque dolentibus sine opiatis parum efficere valemus; parva esse horum dosi incipiendum, atque ad altiorem adscendum (Huxhami Opera II. 139). In stadio supurationis Haen inconditionate laudat, absente nempe dissolutione putrida. Tralles ejusdem est opinionis: Opium esse exhibendum in febre secundaria, doloribus vexantibus. Consentit Mellin, qui diem porrigendi Opii defigit octavum: vesperi febre mitiore praesente, variolis dolentibus, maxime vero his detumescensibus, accedente diarrhoea, haematuria, licet haec ambo dissolutionis putrescentis symptomata sint, in qua Opium non valet! at experientia usum Opii hic consulit, cum Variolarum tractatio alioquin multis non explicitis

scateat (Segniz II. 180): an forte diaphoresi aucta excitat? interrogat! mihi quidem videtur, incitare vitalitate organi hic fungentis, cutis videlicet, aucta. Certum insuper est, Opio bene hic jungi antiseptica: Cinchonam, acidumque sulphuricum. In stadio secundo praesentaneum esse Opium Lösecke contendit, atque Vogel speciatim tunc mederi notat pustularum pruritus, ustioni, doloribus, anxietati, inquietudini, dosi tamen parca. — Statum spasticum Variolarum malignarum, jamjam gangraenescentium graphice describit, uti solet, Hufeland (l. c. p. 136. seq.): Variolae sunt profunde coloratae, imo nigrae, confluentes, depressae, cuti non rubra (spastice constricta); adsunt debilitas, insensibilitas, pulsus celer, debilis, convulsio, diarrhoea. Opium nunc incitat nervos cutaneos, vitalitatem nempe periphaericam, imminuit stimuli morborum actionem. — Reil itidem suppurationi imperfectae a functione nervorum laesa occurrit Opio. Similiter Jahn pustulis male coloratis, non debite incrementibus, cute simul pallida, diarrhoeae et anxietati praesenti (nervis nempe adfectis) succurrit Opio (II. 232). Hoc in stadio Variolarum situm binarium solliciti distinxere auctores, nominando discretas et confluentes. Valet autem Opium in Variolis discretis, interstitiis harum, atque facie pallida, quum porrectum levat pustulas, atque ad faciem determinat (Sydenham I.

157); quae ab his saepe pertimescenda est oboriunda ob inquietudinem, anxietatem et vigiliis phrenitis (ib. 152. 155), haec saepe solis narcoticis aut sanguinis missione immittitur (157), cum Opium sanguinis motum efferum imminuat (158). Plurimum tamen iuvamen ab Opio auctores observarunt in Variolis confluentibus, in quibus paragonica, quasi specifica, perinde ac Corticem peruvianum in febribus intermittentibus esse observat Sydenham (II. 371). In Variolis confluentibus, ubi febris nocturno tempore ingravescit, atque exanthemata subsidere incipiunt, „anceps esse sine Opio auxiliium“ pronunciat Linné (Amoen. Acad. VIII. 298). In id enim semper sollicitè incubuit Sydenham, ut motus sanguinis atque spirituum sopiret, ordinaret (II. 371), ne dolor, vomitus, aut diarrhoea aegrum dejiceret (372). In Variolis anomalis, confluentibus, nigris tandem opiata exhibuit, donec motus vitalitatis compesceret (II. 204. 239). Praetulit tamen in hunc scopum minus (ac Laudanum suum liquidum) calefacientem syrupum de Meconio, dosi tamen praeter normam majori exhibendum, ita ut adultis loco drachmarum sex unciam unam porrexerit, per intervalla ad effectum proportionata (372); puero decenni deliro exhibuit ejusdem syrupi unciam semis pro dosi intervallo horae dimidiae separato, dein singula nocte per morbi decursum unciam

ciam semis (373-4), cum regimine simul frigido. Cum fine morbi in hebetioribus die undecima hora quinta usque sextam pomeridianam (II. 375), imo ultimis, scilicet periculosissimis morbi diebus mane et vesperi opiata exhibuit (ibid). Nec tamen Laudani liquidi sui usum plenarie respuit, cum loco Unciae unius Syrupi de Meconio Laudani liquidi guttas sedecim dederit (II. 376). In Variolis confluentibus maxime valere volatilia, Opiumque tam schola antiquior anglica, quam hanc insequens periodus intermedia Brunonis contendit, ut adeo hic se consociasse videantur; Cullen enim atque Gregory laudant acida, Cinchonam et Opium! Febrim typhosam junctam esse debilitatem indirectam decedit Brown, atque laudat Moschum, Serpentariam, Camphoram, Aetherem atque iterum Opium: hic tamen mitius Opio Laudanum adhibuisse videtur, notante Jahn (II. 233). Diarrhoeae hic comparenti mox occurrit Opio Crumpe. Casus a Reilio pulcre descriptus, dispnoeae junctus, huc spectat. Hic imo Casus emergit, Opii cum Mercurio dulci consociandi, dum Diarrhoeas debilitantes Opio inhibere, dumque excretionem cutaneam regere volumus (Jahn II. 234).

Morbilorum decursui opponi Opium bene suadet Tralles, urgentibus tussi, dolo-

ribus, motibus convulsivis, atque diarrhoea; ad tussim infantum curandam prae reliquis valere opiata, hicce Syrupum de Meconio Auctor iterum est Sydenham (I. 198).

In Miliaribus abesse jubet Opium, inflammatione effera, Young, in inflammatione acuta viarum aërearum Jahn, qui tamen illud alias in omni stadio valere asserit, praecipue tussi vehementi spastica aegrum excruciante; tussim enim, diarrhoeam, atque spasmos etiam hic Opium expetere observat Tralles.

Scarlatinae inter exanthemata minime convenit Opium, nec statui hujus typhoso, e mente Jahni atque Voigtelii: typhus enim comes potius putridus, magis in statum paralyticum pronus est, quam in aliis exanthematibus (Voigtel II. 2. 275). Solum tunc Opium valere auctor est Jahn, si affectionibus nervosis adsit anxietas, agrypnia, emesis et catharsis laticis aquosi continua, cutis sicca; tuncque accedat Opio vis Valerianae, Camphorae, Moschique (II. 234). Tussi quoque nimiae, atque convulsionibus debellandis opponi debere juste monet Lösecke.

6. Profluviiis atque retentionibus curandis Opium sufficere novimus.

Pneumatosi (Tympanitidi) interdum bene opponi opiata, aëri fixo juncta, cum aromatibus stimulantibus refert Jahn, diagnosi tamen indicante necdum empirice determinata (II. 254).

Hydrops, serosorum morborum ad minimum mole praecipuus, Opium respuit, si is ab organorum vasorum lymphaticorum correspondentium obstructione mechanica derivetur, at cum idem saepius a spasmo descendat, spasmus vero opiatis fugetur, novimus Opio Hydropem curari tam e theoria, quam experientia, ductore primum Richtero. Spasmus forte a stimulo productus organi sensibilioris, irritabilioris, ab exanthemate retrocesso: scabie, scarlatina, a rheumatismo optime suffertur antispastico primario, additis ad mentem Richteri roborantibus saepeque diureticis, aliorum vero diaphoreticis. Hamilton Edinburgensis exhibuit Pulverem Doveri, Ferriar Opium junctum Calomeli atque Scillae, Fordyce Scillae, Nitro et aromati (Piperi, Zingiberi, Calamo), Leake Aceto scillitico, Alcali et Tincturae Antimonii, Mahon Spiritui Juniperi, diureticis et Castoreo Selle; alii addere Digitalem purpuream, Chelidonium, Antimonialia alii, Darwin Cinchonam; Ferriar formula sequente Opium exhibere solebat:

R. Saponis veneti rasi scrupulum unum,
Scillae siccae scrupulum semis,
Calomelis grana tria,
Opii puri granum unum.
M. f. Pulvis.

D. S. pro dosi hamaphagica.

Mead observationem protulit Opium in spas-
mibus renum esse praestans diureticum, quod
spirituosis stimulantibus junxit.

Mucosis lymphaticisve reten-
tionibus atque profluviiis Opium con-
venire testatum habetur.

De catarrhalibus febribus supra
pauca dixi; hic de catarrhis plura dicere con-
stitui. Contra catarrhum hujusque symptoma
eminens, saepe excrucians antiquitus adhibi-
tum fuit Opium: „in tussi nullum est majus
medicamen quam Papaver“ verba sunt Theo-
phrasti Paracelsi (in Scholiis ad Poëmata Ma-
cri p. Op. 1087); contra Tussim laudat Wil-
lis (Pharm. rat. p. 178) pilulas de Styrace cum
Lacte Sulphuris, Oleo Anisi et Balsamo pe-
ruviano. — Catarrhi generatim curantur ad
indolem febris comitantis: inflammatione

enim praesente, congestione in pectus, obstructione atque induratione pulmonum praesente nullus Opio sit locus. Obesse novimus Opium Catarrhis a perspiratione suppressa mox abortis; plethora pectoris urgente, atque dolore tussique efferis potior Hyoscyamus (Jahn II. 237). At Opio multus est locus, dum viae aëreae stimulo (acri vellicante) irritatae tussi copiosa, praeprimis sicca, contractiore afficiuntur: stimulus is rheumaticus, catarrhalis praecipue sensiliores, hystericas vehementius afficiens producit faucium siccitatem, titillationem, tussim contractiorem, absque exscretionem, dolorosam, anxietati, debilitati, agrypniae junctam. Hic valent pilulae Weikardi, Ipecacuanham et Opium tenentes (Jahn II. 261 seq.); Opium cum Kermete minerali singulo vesperi exhibuit Mudge, cum Scilla alii; cum gummi Ammoniaco catarrhali tussi opposuit Pringle. Tussi catarrhali metastaticae et spasticae convenire Opium Tralles exposuit; tussi a miliaribus residuae, aequae uti catarrho inveterato Huxham Opium opposuit cum oleosis atque purgantibus. tussis inveteratae saepe unicum remedium esse dicit Haller (AML. p. 276); et Young illud praecipue in tussi habituali saepe recurrente dosis repetitis parvis laudat. In tussi vehemente dolorosa excreti indolem Opio mutari (coctionem promoveri) observatum est. Imo tussis phthisicorum oppositum Opium novimus.

Meza in se ipso curavit tussim titillatoriam, hora vespertina somni periodice recurrentem, quae phthisicis familiaris, quaeque ad Phthisim dispositis prodroma morbi est, usu per duas tresve septimanas protractiore, suadetque pectoris dolore molestiore sanguinis missiones celebrandas (Soc. med. havn. Collectanea II. 309. seq.). Tussi phthisicorum, pro suppuratione benigniore obtinenda opponi suadet Wirtensohn (p. 451), atque Reid (über die Natur der Lungensucht in der Sammlung für prakt. Aerzt. X. 603), in quo casu amaris, praecipue balsamicis atque Myrrhae jungendum suadetur,

Blenorrhoeae (aliis saepius gonorrhoeae dictae), Catarrho utpote urethrae, Opium multum opponitur. Inflammatio localis fortior praevis suppressenda est venaesectione, hirudinibus, fomentisque ad perinaeum adplicitis, dein Opio accessus patebit, si dolor, irritatio, aut excretio multum abnormis suadeant. In omni quidem stadio morbi Opium valere Hamilton asserit! at in blenorrhoeae acutae stadio inflammatorio facile effluxum mucii morbidum sistit, multo cum systematis generationis periculo: producta Ischuria, testiculis inflammatis etc. Hoc in stadio praeter dicta solum valent emollientia, frigida, interdum addita antiphlogistica, **Locus**

insuper esse potest Opio incipiente vix inflammatione, quam praevertere, et mox finienda, quam tollere potest, ob sensilitatem imminutam; tandem inflammationi mitiori, dolenti tamen, Opium opponere fas est. Topicae nunc adhibitae injectiones praestant aquosae, mucilaginosae, nec solutiones spirituosae, inter quas Laudanum liquidum eminent (causa Alcoholis solventis stimulantis). Unitur Kali, plumbatis, mucilaginibus ad indolem et stadium morbi. Valent formulae sequentes:

R. Mucilaginis gummi arabici tenuissimi uncias duas,

Opium puri grana duo
solve terendo.

D. S. pro injectione.

R. Infusi Seminum Lini uncias novem,

Opium puri drachmam unam
misce terendo

D. S. Injectio Girtanneri I. 113.

R. Opium puri drachmam unam,

Sacchari Saturni drachmam semis,
solve in

Aquae comm. destillatae unciis sex.

D. S. Injectio Hunteri.

In Blennorrhoea sicca, effluxu ab inflammatione, spasmisque (saepe praesente chorda aut doloribus intensioribus) suppresso post venaesectiones atque hirudines tantatas Opium adhibitum effluxum producere Auctores sunt Jos. Salam. Frank et Bell. Abuti tamen recentiores et hoc loco Opio fatendum est, dum mucilagibus solis proficere possent; relaxationes interdum hinc oriri supponere forte licebit! Symptomatibus hunc morbum comitantibus iterum Opium saepe remedium est. Ischuriae post inflammationem fractam Marherr Opium cum Calomele opposuit; in phimosi atque paraphimosi post evacuationes sanguinis locales atque universales injectiones atque fomenta opiata cum Calomele proficua sunt; chordae, priapismo atque erectionibus spasticis, inflammationis periodo adstantibus opponendae sunt praeter dietam antiphlogisticam atque remedia diluentia mucilaginosa injectiones opiatae, majori ante somnum quantitate injiciendae; testiculorum tandem inflammationem venereum post tractationem antiphlogisticam Opio intus et extus exhibitio curari bene docuit Althof et Swediauer (prakt. Beob. p. 90). In testiculo indurato pulsem opiata quae praestans discutiens laudat Fothergill (Med. Obs. and Inquir. Vol. V.), et balneum repetitum in solutione Opii aquosa P. Frank (Ep. Vol. 5). — Blennorrhoeae posthumae s. inveteratae, magnae sensilitati

junctae bene opponitur usus Opii in- et externus: ille quidem cum Camphora lenibus dosibus. — In Blennorrhoea feminarum acri fortiores valent injectiones opiatae, ob minorem urethrae irritabilitatem; bene adhibentur aut junguntur fomentationes opiatae perinaei. e. g.

R. Olei Amygdalarum dulcium uncias duas
Laudani liquidi Sydenhami guttas quadraginta.

M. D. S. Fomentum anodynum.

Ad retentiones mucoso lymphaticas caterva conjicitur morborum heterogeneorum: icterus, obstructio, struma, scrophula, rachitis, originis majore parte non indagatae. In Ictero Opium pertimescunt plurimi; ad mentem certe Neotericorum, hypothesis filo inter coelum et terram pendentium, neutrum tamen attingentium, loquentem opinor Jahnum caeterum eximium practicum: nullatenus valere Opium in ictero, cum Carbonii quantitatem adgreget (II. 247); licet idem asserat Opium tamen valere in ictero, a spasmis reclusis ductibus, qui casus rarior obtinet in hystericis, hypochondriacis, saepe abrupte abortus. Tunc adhibenda esse nervina, antispastica cum solventibus evacuantibus, tandem amaris, aromaticis, roborantibus (l. c. 247). A spasmis aborti Icteri symptomata minui Opio

Auctores sunt Commentatores Pharmacopoeae edinensis (N. edinb. Disp. I. 454), a calculo spastice recluso orti curam fieri Opio Commentatores Pharmacopoeae austriacae emendatae (Erl. d. oestr. Pharm. I. 347). Bene conjungit Selle Asam foetidam, Chinam cum Opio. Cum tamen morbus ut plurimum a vitalitate hepatis productiva derivet, non erit tunc Opio locus (Jahn II. 247). Alios tamen Auctores etiam hoc in casu Opio usos novimus: Chaux quidem in Icteri diversis casibus absque crisi debita Opii usum fecit, at Desault in Ictero ab obstructione hepatis expertus laudat Opium, Ferrum et Oniscum asellum. Hinc adhuc videndum, quid Natura ferat.

Obstructionum quibusdam varietatibus curandis Opium salutari eventu adhibitum fuisse constat. Tumoribus quidem scirrhis, serophulosis, arthriticis dolentibus, pro dolore leniendo, pro maturatione extus, bene adhibitum fuit. Ulcerum quidem gravissimorum, canerosorum puta, olim cura Opium abhorruit: Young refert dolorem quidem ea comitantem lenire, attamen nocere; alii non quidem curare, at lenire intendunt, dum operationi locus non est, juncto Opii usu cum Cicuta alterne externo; vidit tamen Plenck ulceris canerosi dolorem Opio adeo auctum fuisse, ut

convulsionibus ansam dederit. Ulceribus callosis cum fructu adplicuit Opium Acrell (chirurgische Vorfälle II. 445).

In Profluviis atque retentionibus cruentis curandis insignis Opio competit usus et praerogativa. Non est tamen Opio locus in haemorrhagiis hypersthenicis, activis dispositione nempe praesente ad inflammationem (plethoram, turgescientiam), ad dissolutionem, praesentibus sordibus abdominalibus. Valet in haemorrhagiis Opium, dum causa subest spastica: pulsu celeri, duriusculo, contracto, corpore sensili, dispositione hysterica, animo affecto; dum causa agit mechanice irritans, symptomaticam praestabit curam dolores leniendo, sic dum sub vulnere pulmonis tussim lenit, (Jahn II. 243).

Epistaxim coërcet Opium, si post venesectiones potus dentur attenuantes refrigerantes, atque omni vesperi ad motum sanguinis furentem coëreendum haustus paregoricus (Syd. II. 284). — In Pneumonorrhagiis haemoptoë antiquiores generatim contraindicatum pronunciavere Opium, si morbus absque tussi decurrebat, vel cum tussi quidem decurrens oriebatur a sanguine in pulmones effuso, quod laesionis externae

sequela est. Aliter tamen, quod scientificus conspectus Opii supposebat, experientia recentiorum indicationes definiit. Hoc in morbo Opio medicos carere non posse, Jahnii est effatum (II. 244). Morbo certe a spasms, a causa mechanica irritante, a motu sanguinis effero oborto, cum spasms, cum tussi asthenica spastica decurrenti adsit Opium; hoc enim leniet irritantis mechanici effectus, hoc tussim, hoc praevertet vasorum a costis fractis, vulneribus pectoris, ulceribus phthisicorum lacerationem faciliorem (Jahn II. 245. seq.), nam solertissimus et plurimum circumspetus Tralles observat (in examine rigorosiore virium — terrarum p. 247): „Opium, si ullum „aliud motuum impetus feliciter coërcet, undas sanguineas rapidius provocatas inhibet, „fluxusque blandissimum moderamen ciet, quibus omnibus praestandis tantopere invigilare tenetur medicus prudens“. Haemoptoëm a stimulo vago e. g. in haemorrhoidariis sensilioribus a suppressa haemorrhoidide, praevis tensione inter humeros et scapulas, frigore, dispnoeaeque, obortam saepe sustulit Jahn porrecto cum Sulphure et Sale amaro Opio, extusque adhibito Aethere (II. 244). Eandem a stimulo rheumatico in sensilibus refrigerium passis obortam Jahn curandam suadet Opio Ipecacuanhae atque Nitro juncto, aut cum Acido sulphurico diluto (II. 245), eidem Saccharum Saturni jungendum suadet et laudat Rey-

nold. Opio adhibito curatos casus narrat Bloch (med. Bemerk. Berolini 1774. p. 77), Rush (in Philad. med. Musaeum pro Anno 1804 I. n. 3. p. 318), et in phthisim proni hominis curam in se refert Meza (Collect. med. hafniensia Vol. 2. p. 309, similiterque Sammlung für prakt. Aertzte III. 329). — Haematemesis s. vomitum cruentum curabimus Opio, si eodem ventriculi abnormem sensilitatem sustulerimus, sique symptomata morbi suppressione tempus pro educendis per alvum heterogeneis tubi intestinalis, pro roborandis et ad tonum reductis vasis sangviferis lucrati fuerimus. Opium tunc adhibendum est cum evacuantibus acidulis, tardius cum roborantibus: inter prima laudabilis Tamarindus, inter postrema Elixirium Vitrioli, Millefolium et Cinchona (Jahn l. c.). — Haemorrhoidis inflammatae exulceratae (uti et tenesmi dysenterici) remedium laudat Hermann (in Cynosura Mat. med. I. 625), post praemissa, stupam unguento albo camphorato, Laudano opiato et Saccharo Saturni cum Oleo Lini illitam ano introductam, ad partes usque affectas, quod tamen cautius, imo minus compositum adhibendum censeo. Haemorrhoidibus uteri atque vesicae data indicatione proderit. — Haematuriam s. mictum cruentum Opio sustulit Gooch (med. obs. p. 21. et Sammlung f. prakt. Aertze I. St. 4. 179). — In Metrorrhagia tamen s. hae-

morrhagia uteri plurimus factus est usus Opii, hacque de causa empirice exactius circumscriptus. — Mensibus parciore aut suppressis pridem enixius commendavit Freind in Emmenologia sua. Dum menses (haemorrhagia feminarum humanarum normalis periodica) parcius justo evacuantur, accedentibus abdominis doloribus ad speciem colicis, apparentibus ibidem per vices tuberculis celebris citatus Auctor adhibuit emplastrum opiatum abdomini per noctem, formula sequente:

R. Emplastri hystericī,
Emplastri de Galbano ana
quantum sufficit,
Opii
Camphorae ana drachmas duas
m. f. emplastrum largum,
S. abdomini adplicandum.

Post aliquot horas abdomen vehementer incallescere, lucta quasi humorum oborta, mane insequente dolores, tumorem et tubercula evanida observavit Freind (Emmenol. p. 124). — Mensibus suppressis a spasmis uteri recentior occurrere solebat Whytt Laudani liquidi guttis triginta ad quadraginta, cum simul extus adhibitis aqua tepida et fomentis emollientibus; menses suppressos cum dispnoea vehementi, tussi, appetitu deleto, viribusque

prostratis produxit Spiritu Salis Ammoniaci, Tinctura Croci et Laudani liquidi ana, exhibitis saepius mixturae cardiacaе hujus guttis triginta in vehiculo: inde dolores sedabantur, viresque reficiebantur. Mensibus suppressis dolorificis plures Materiae medicae scriptores opponi jubent Opium, sic post Trallesium Gesenius, sic spasticis doloreque Colicam mentiente stipatis Segniz clysmata opiata (II. 115); mensibus tandem post puerperium emanentibus Laudanum suum opponi jubet Sydenham. Monet tandem Freind Opii hic doses repetitas minores valere, nec esse exhibitionis periculum, curamque raro felici successu carere (Emmenol. p. 120). Opii virtutem emmenagogam non esse antispasticam, verum a vi attenuante dependere idem declarat: admodum enim attenuare, et rarum facere sanguinem (l. c. p. 120), per Sal suum volatile calore adaucto esse diaphoreticum potentissimum, emenagogum praestantissimum; Laudanum enim idem observavit sanguinis extra vasa coagulationem impedire, unde concludit, eundem effectum motu simul juvante intra vasa altiore gradu praestare debere (Emmenol. p. 142); a Laudano liquido Sydenhami et Panacea Opii liquida Jones canum venae jugulari injectis demortuorum sanguis supra, quam credibile est, rarus et tenuis, rutilusque observabatur, vasa sangvifera insigniter distenta, cor quasi aqua elotum,

membraque tarde rigescebant (ib. 146. seq); notat tandem auctor idem, Panaceam Opii liquidam Jones Syrupum violarum viridare, plerorumque aliorum emmenagogorum instar (ib. 146). Addit tandem, tincturas spirituosas minus attenuare, imo coagulare non a soluto, verum a solvente, ita ut cum tinctura Opii spirituosa sangvinem parum concrecere faciat, Opium vero hunc effectum Alcoholis impediatur (p. 144), potius solvens hoc in casu sit Aqua vel Vinum (p. 145). — Non vero solum in suppressis, imo etiam in mensibus nimis, praecipue feminis sensilioribus, spasmo obnoxiiis, praecipue hystericis bono eventu Whytt Opium exhibuit (sämmtl. Werke p. 526). — Idem quoque de Lochiis valet: lochiorum enim retentorum tincturam Opii Crocique mixtam inter praestantissima esse remedia observat Linné (Amoen. Acad. VIII. 298); in nimis, a secundinis forte retentis, valere Opium Tralles asserit, et sensilioribus exhiberi poterit eventu secundo expectato. — At plurima Opio laus fluxit e tractata Metrorrhagia s. Haemorrhagia uteri speciatim, cui quidem activae, hypersthenicae (alioquin rariori) non convenit, alteri vero convenire auctores multi laudati plurimum celebrarunt praecipue ei gravidarum et puerperarum: Young, Tralles, Gartshore, Starcke, Mursinna (von den Krankheiten der Schwangern 1-) Leroux (in der Sammlung f. pr.

f. pr. Aerzte IV. 656). Non quidem Opium generatim adhibendum esse opinatur Jahn (II. 266), quod utique scientiae consentaneum est: valebit Opium speciatim in Metrorrhagia a causa spastica (remota, aut locali: et ob hanc causam id maxime laudat Vogler, cum saepe cum affectione hysterica decurrat), a causa locali, non tamen inflammatoria (Jahn l. c.) oborta: in eadem dolorosa, atque metu abortus imminentis Opium exhibere Whytt, Mellin et Askow: hic quidem cum acido sulphurico diluto; in Metrorrhagia nimia, diuturna, debilitate sensim ingruente, multumque increscente, extremitatibus frigidis Young plurimum convenire Auctor est. Feminis debilioribus, praesente pulsu parvo, celeri, tenso Jahn (II. 244), tensione doloreque dorsi atque abdominis, debilitate, tremore, frigore artuum, nisu humorum in uterum (quod symptoma abortum praecedens esse ait) idem Auctor Opium indicari observat (II. 245) mixtum acido sulphurico tenui, aut alumini, e. g.

R. Aquae Cinnamomi simpl. unciam sesqui.

Elixirii Vitrioli guttas viginti.

Opii puri grana tria.

M. D. S. Dosibus tribus per duas horas sumendum.

aut sequente formula :

R. Essentiae Cinnamomi drachmas tres.
Laudani liquidi Sydenhami drach. unam.
Elixirii acidi Halleri scrupulum unum.
M. D. S. omni hora dimidia sumantur
guttae triginta cum theatu
Cinamomi aut Citri (Jahn II. 246).

Praecipue vero Metrorrhagiae post partum ori-
enti aromatica et roborantia accedant adju-
vantia, cum virium jactura citissime increscat,
adeo ut incitatio mox augenda sit: tunc prae
Elixirio Halleri valet illud Vitrioli Mynsichti.
Saepe Jahn Alumini junctum exhibuit:

R. Aluminis crudi grana quindecim,
Cinnamomi grana quinque,
Opii granum semis,
M. D. S. Pulvis omni hora sumendus.

Externa quoque roborantia dentur (Jahn II.
247). Tandem morbo a placenta uterina vel tota,
vel partim relicta oborto conveniens Opium es-
se asserunt Young, Tralles, Gartshore, et Star-
cke: causa tamen praefata mechanica ante

usum Opii auferenda, nisi uterus spasmō contractus ob haemorrhagiam internam pertimescendam urgeret (Jahn II. 244). — Tempus Opii dandi designat antiquior Crantz esse initium haemorrhagiae descriptae, partu tamen instante potius partum procurandum, quam Opium dandum esse suadet (Mat. med. III. 18); at alia mox patebunt sententiae huic minus faventia. — Dosim Opii dandi omnes fere Auctores praeferunt minorem, saepius repetendam (Jahn II. 244), praecipue Mellin, qui ex observatis defixit grani unius sextam, aut quartam partem omni dimidia aut altera hora exhibitam plus efficere, quam granum unum aut duo omni sexta, aut octava hora propinatum: cui Auctores Commentarii in Pharmacopoeam Austriacam emendatam (Erl. oestr. Pharm. I. 355) assensum praebent. Aliis autem, Anglis utpote audacissimis doses praemagnae praeplacuerunt: Percival quidem intra horas triginta sex grana Opii viginti duo exhibuit! quod forte solum in spasmis et doloribus summis caute, atque effectu progressivo fideliter observato valebit. — Additamenta convenient in Metrorrhagiis praecipue gravibus, continuantibus ex aromaticis Cinamomum, e roborantibus Haematites, ex adstringentibus Alumen, Elixirium acidum Mynsichti, acidum Halleri, acidum Vogleri, imo iterum audacissimo Anglo Georgio Williamson duce (in Harlesii Journal der ausländischen

Literatur II. St. 1) plane Saccharum Saturni! —
Alia est circa uteri functionem summam Opii
virtus, qua partum, data conditione, allevia-
re scitur. Dolores enim feminarum grvida-
rum parturientium ad partum juvare observa-
runt Whytt, Askow, Morgan, Mellin, Petrus
Copland, et Josephus Frank (in ratione insti-
tuti clinici ticinensis); eo indicatius quidem
illud esse censent, dum abortus metui potest,
adeo ut metu tali fundato praesente adhuc
ante haemorrhagiam abortam dari suadeat
Tralles, qui aperte dilucidat, eam Opio ines-
se virtutem, qua dolores spurios leniat, afe-
rat. Parturientibus tale levamen optimum ad-
ferant clysmata opiata e sententia Petri Cop-
land (in med. facts. IV. 118, et in Sammlung
f. pr. Aerzte XVI. p. 178, aut in Römeri Ann.
d. AML): clysmata optime speciatim indicari,
si dolores abdominales, et circa umbilicum ad-
sint, non inflammatorii, si sub doloribus auctis
Metrorrhagia ipsa augeatur, observat Whytt
(über die Nervenkrankheiten). — Imo tandem
addit Auctor idem post abortum praesentibus
doloribus intensis abdominis dorsique, abs-
que inflammatione Opium interne exhibitum
plus valere omnibus adstringentibus fortio-
ribus.

Ad profluvia, atque retentio-
nes mixtas, in quibus Opio locus est,

spectant Emesis, Cholera, Diarrhoea, Dysenteria et Lienteria. — Morbis generatim intestinorum, omnium tamen maxime, ubi circa medium Seculi decimi octavi rarius aut vix ausi fuere, in profluviiis intestinorum, multum adhibitum fuit Opium, et cum profectu a cautiore exhibetur. Generatim quidem Opium in morbis intestinorum adhibendum esse censent Auctores therapeutici praesentibus spasmis, doloribus continuis exhaurientibus, absentibus sordibus, ita, ut morbus ab irritabilitate dependeat exuberante (Jahn II. 242), seu paucis, si is nevrosim essentia sua constituat. Generatim tunc valere doses minores repetitas Auctor est Röschlaub, qui sub initium addit mucilaginosam, sub decursu amara, in fine vero aromatica; potionem Riverii Opio jungit Selle. In Hyperemesi, Hypercatharsi ad Spirituum ataxiam coercendam, motum periphericum restituendum generatim uti solebat Sydenham. Non valet Opium in profluviiis criticis, dum vitalitas sordium eliminationem intendit (Jahn II. 296). — Pyrosis vix non unicum remedium fidum esse exponit Commentarius Pharmacopoeae edinensis (N. edinb. Disp. I. 453). — Contra Hyperemesim s. vomitum nimium jam longo abhinc tempore feliciter adhibetur Opium: quae praesentaneum remedium adhibebatur a Sydenhamo (II. 418). Valet vero illud, dum morbi causa est hypererethismus ventriculi atque

intestinalis tubi vicinioris, unde nisus nonnunquam ad vomendum vix sopiendus oritur, e Bang; dum morbus non a materiali (sordibus, cruditate) dependet, e Tralles. Status is sensilitatis exuberantis saepissime feminarum gravidarum est, quibus doses parvas saepius repetitas convenire observabat Young; at communius est has absque fructu exhiberi, tunc absentibus tubi intestinalis sordibus vix non unicum remedium est sanguinis missio. Adplicatio fiat saepe externa, quae tunc unica sit, cum ventriculus sensilissimus vix aliquid fert, ut metus ejiciendi per emesim remedium adsit. Hyperemesim probabilius a refrigerio ortam, absque cruditate, feminae senis spasms obnoxiae, omni minuto vomentis Hahnemann momentanee stitit lintheo tinctura Opii irrorato, super scrobiculum cordis posito, ubi Opium ore sumtum emesim augebat, nec clysmati locus erat; eadem ratione adhibitum sistit emesim symptomaticam ante variolarum humanarum eruptionem (n. edinb. Disp. I. 450); Vogler anodynum ex Opii scrupulis quatuor, olei olivarum scrupulis viginti super panno ad semel adplicito laudat, cujus etiam vehiculum, oleum nempe, spasmos leniat; alii emplastrum simplex aliquod Opii granis quatuor ad decem permixtum, alii fermentum opiatum ventriculo imponi jubent; tandem clysmata valebunt Opio paucio mixta, eademque parva, ad uncias tres quatuorve. —

Cholera s. Emetocatharsis (Gallenruhr) in Opio solamen invenit, dum a Hyperaesthesia derivet, nec sordibus primarum viarum stipata sit. Choleram, absque sordibus praecipue requirere Opii usum internum atque externum, et quidem instantaneum, observatio est Quarini (Animad. in morbos chr. p. 206). In cholera post acre stimulans ejectum irritabilitate tamen auctiore persistente Swieten adhibuit Opii grana duo ad tria in unciis Aquae quatuor soluta, omni quadrante aut integra hora cochleatim. Verba Linnei huc faciunt sequentia: „in cholera horrenda, quae brevi tempore vires vitae exhaurit, medicus deplorandus est, qui ad Opium non confugit, idque sufficiente dosi porrigit, dum certius nullum hucusque inventum sit remedium (Amoen. Acad. VIII. p. 298)“; ejusdem opinionis: unicum fere cholerae securum remedium esse Opium, sunt Auctores Commentarii in Pharmacopoeam edinensem (N. edinb. Disp. I. 453); cholerae praestantissimum in Indiis orientalibus Opium esse remedium refert Bontius (p. 3. 23). Crantz (anno 1775 in Mat. med. tomo III. p. 17) observat in cholera granum Opii unum alterumve in aquae menthae unciis quatuor cochleatim datum, idemque lacte solutum proque enemate injectum „incantamenti instar tenesimum suppressere“. Potum panis avenacei simplicis tosti cum Opio feliciter exhibuit Douglas. At summus

in profluviis observatis curatisque Auctor nunc audiatur Sydenham, qui alioquin post omnes motus purgantium atque vomitoriorum, ad spiritus compescendos, Opium exhibuit. Observavit is, in cholera purgantia sola, aequè uti opiata sola ab initio morbi non convenire; idem tamen felici semper eventu exhibuit potus atque enemata mucilaginoso gummosa, at post horas tres quatuor pro coronide Laudani sui liquidi guttas quindecim in mixtura (I. 176); aliis tamen in epidemiis fortiora solum et saepius repetita profuere: sic anno 1676 cholera cum convulsionibus decurrente, pulsu et viribus minimis immediate exhibuit pro dosi Laudani liquidi guttas viginti quinque in Aquae Cinnamomi cochleari, easdem repetiit adauctas per intervalla, quibus sedulus scrutator lecto adsidens effectus remedii observabat, donec symptomata effera cessavissent (II. 296); aegro alteri vomitionibus atque dejectionibus exhausto, extremitatibus frigidis illico Laudanum liquidum porrexit, illudque mane et vesperi repeti jussit, usque ad restitutionem (I. 177). Vehiculum Laudani paucum, et quiete aegri Opium juvare necesse esse monet idem (II. 296). — Ob-
stipationem alvinam refractariam a spasmis ortam, absque inflammatione Opio purgantibus juncto saepe optime curari refert Segniz (II. 187). Diarrhoeae curandae Opium adesse debet in casibus praefatis; hic

enim symptomatice evacuantur ut plurimum sordes, hisque ejectis Opio ut plurimum est locus, adeo, ut diarrhoeis symptomaticis gravissimis utilissimum sit (N. edinb. Disp. I. 453); idemque valet in casu diarrhoeae non criticae, a laxitate intestinorum dependentis, praecipue violentae aut diuturnioris! idem proficuum est in diarrhoea variolosorum, observante (in hist. med. p. 278) Freindio supra omnes res. In Diarrhoea colliquativa phthisicorum Opium porrigere interest aut forma unguenti, aut saepissime clysmatis, optime ad methodum Swietenii:

R. Terebinthinae drachmas duas,
Vitellum ovi, numero unum,
Theriaca unciam semis,
subactis sensim adde:
Lactis recentis uncias quatuor.
D. S. pro Clysmate.

Pro diarrhoeae suppressione exhiberi suadet Hufeland essentiam Opii cum ea Croci permixtam. — Hepatirrhoeae s. fluxus hepatici, Indiae orientali consuetiorem, praestantissimum esse remedium asserit Bontius (p. 24) Opii solutionem atque Croci etc. aceto extractam; Opium veroervi magnitudine assumptum auxiliari coeliacorum valetudini auctor est Dioscorides (ed. Matthioli p. 745).

Si ullibi Proteum egit Opium, eum quidem in Dysenteria a observatoribus exhibit, effato Jahnii (II. 237), dum illud alii salutare, imo divinum, quo referas Sydenham, Richter et Vogler, illud alii diabolicum renunciarunt, uti Zimmermann et Mursinna, Hahnemannque omni in casu (n. edinb. Disp. I. 453); si quaeras, qua de causa? hanc non in remedio, verum ingenio atque methodo observantis invenias. Integri super hoc objecto libri legi merentur: prae caeteris Zimmermann, Mursinna, Brüning, Vogler, Horn, Wedekind propriis super dysenteria scriptis operibus clari, et Richter atque Jugler in observationibus medicis separatim, alii vero in Hufelandi Journal editis, quo Hufeland, Michaëlis, Klimpe, Hargens et Wendelstädt spectant. Morbus intestinorum ut plurimum subinflammatorius (quem rheumaticum, aut catarrhalem dicunt) variat causa, indole, complicatione; haec quidem momenta iterum variant genio epidemiae, annique, et tempore, quod recentiores minus, ac antiquiores distinguunt. Difficilis hinc Diagnos, remedium anceps, experimentum periculosum. At tria esse cardinalia dysenteriae momenta sapienter monet Jahn (II. 233): spasmum, inflammationem, sordes: rarior enim est status morbi malignus, putridus, nervosus, qui praeter fontes dictos propullularet; hinc adeo-

que character morbi, hinc methodus therapeutica fluit, Opio reverentiam aut abominationem distribuens (Jahn ibid). Dicam prius de contraindicationibus, ut, quid Opio relinquendum, tribuendum mox pateat.

a). Non valet Opium, in statu inflammatorio intestinorum: dolore horum fixo, continuo, tenesmo vehemente, alvo dejecta parca, mucosa, sangvinolenta, absque levamine, urina pauca, praerubra, quae symptomata dysenteriae sunt siccae (Jahn II. 233); his interdum majora, expansiora accedunt; cardialgia, vomitus, os et trachea sicca, oppressio pectoris, et anxietas, cum pulsu celeri, duro, aut pleno. Opiata hic porrecta, quod antiquiores timere, adducerent: post dolores nempe imminutos tardius auferent intestinorum dolores, calorem febrilem, tenesum, et alvi suppressionem, vires evacuationi incumbentes infringerent, praesente adhuc materia eliminanda: paucis nempe ad mentem Huxham atque Swieten inflammationem auferent, sordes vero retinerent.

b) Non valet Opium in Dysenteriae statu gastrico (nisi forte Opio tempus actioni aliorum remediorum, induciis pactis, procurandi animus esset). Noscitur status hic

lingva mox ab origine morbi sordibus tecta, sapore oris ingrato, amaro, oppressione scrobiculi cordis, alvi depositionibus cum levamine accidentibus, urina turbida serosa, pulsu intermittente parum alienato (Jahn II. 239).

c). Non valet Opium in statu morbi nervoso, putrido: labiis, lingva sicca, alvo copiosa in dissolutionem prona, imo nigra, cum typho putrido, debilitate muscularis systematis magna, et epirrhoea cephalica (Jahn II. 241), quae Opio intacta maneant vel maxime. Vogler quidem praesente febre putrida Opium caute adhiberi suadet, at plane fugiendum demandat, si oris siccitas, emesis et flatus copiosi, anxietas atque cephalaea adsint. — Nimis certo usum Opium extendit Voigtel, qui in dysenteria generatim ei locum esse asserit: feбри quidem seu synochali seu typhosa comite; in statu catarrhali, rheumatico, spastico, doloribus magnis, tubi intestinalis irritatione summa, pauca tamen evacuatione. Hic iterum videas Opium generatim laudari, imo a primariis practicis Bontius (p. 3. et 23.) dysenteriae praestantissimum remedium salutatur; Willis (Pharm. rat. p. 164) asserit effectus dysenteriae sine Opio vix curari posse, idque necessarium esse ad spasmos excretorios sistendos; Haller dysen-

teriam vix absque Opio curari auctor est; imo post plures cautelas summus Sydenham sic sentit: „experientia constat, dysenteriam citissime curari, si missis ambagibus (primum „exhibitis evacuantibus, dein vero acrimoni- „am obtundentibus) fluxus Laudano confe- „stim sedetur“ (Op. II. 53.)! Ante omnia quidem vitalitatis ratio ineunda est:

a). Dysenteria evacuationes sistens a sensilitate abnormi efferata curabitur sensilitatem deprimente primario = Opio. Hic Opium cum Camphora et Ipecacuanha (adeoque qua Pulverem Doveri) exhibitum laudat Selle, Pulverem Doveri solum alii. Status nervosi acme videas in aegroto debili, pallido, extremitatibus mox ab initio frigidis, alvo copiosa graminea, foetidissima, cum doloribus imo deliquio animi, dejectis, sudoreque frigido. Nunc Opii doses parvae repetitaeque cum Camphora, Moscho, Arnica praesto sint (Jahn II. 241). Minorem gradum sistunt morbi dolores continui, inquietudo stimulusque perpetuus, ubi Opii doses parvae repetitae valent, et proficua esse potest mixtura Vogleri (Pharm. selecta) etiam a Jahnio (II. 240) multum laudata:

R. Aquae florum Sambuci uncias quatuor,
Specierum Diatragacanthae scrup. duos,
Spiritus Vitrioli scrupulum unum,
Opii puri grana duo,
Olei Olivarum
Syrupi Althaeae ana unciam semis.

M. D. S. omni hora cochleare unum
sumatur.

b). Opium valebit Dysenteriae curandae statu inflammatorio absente vel imminuto. Efficitur id decurrente morbo: febris jam multum decrescente aut nulla, lingua munda, pectore libero, intestinis fere paralyticis e Mursinna; arte vero efficitur status idem venesectione, hirudinibus, fomentis emollientibus; dein locus est Opio (Jahn II. 241), cui hic accedant Nitrum, Sal ammoniacus, Calomel, et emollientia. Huc spectant curationes Sydenhami, in quibus post venesectionem et lene catharticum exhibuit paregoricum, et dehinc catharticum atque paregoricum alternans, imo et diebus liberis exhibuit pro haustu guttas sedecim ad octodecim in aqua cardiaca (I. 183 seq.), communiter tribus vicibus (ib. 184); morbo vero intensiore nec fluxu cessante dietim ter guttas viginti quinque (I. 184). Adnotat tandem Opium nocere in febris dysenterica purgationi-

bus interjecta (I. 193), nisi post dies duas tresve ab extrema purgatione, viribus valde fractis, semel exhibitum (I. 194). Valebit certe Opium, si morbus absque inflammatione et febris topicus decurrat, tardius quidem accedente dolore, stimulo, inflammatione et febris (Jahn II. 241).

c). Opium statu gastrico absente valet. Ad hoc punctum observatorum effata plurima spectare mihi videntur, qui Opium in auxilium artis vocant post venesectionem aut purgantia pro se, aut post ea tentata. Pringle post venesectionem, post purgantia, Salia, et Mannam, Tralles post evacuationes, post purgantia Stoll (hic quidem in- et externe) Opium utendum esse suadent; inque pluribus epidemiis dysentericis post purgationes primum ad Opium confugiendum fuit. Huc facit observatio Freindii (hist. med. p. 159): Opium non in origine Dysenteriae exhibendum esse, ea Bergii (Mat. med. II. 484), cum restrictione exhibendum esse, cum symptomata mitiget absque stabilitate atque effectum evacuantium potius retardet, imo morbum potius antimonialibus curandum esse; tandem icon Mursinnae: Opium convenire, dum lingua pura, pectusve liberum, febris parva, debilitas magna, tubus intestinalis vix distentus. Quidam prudenti pro statu morbi consi-

lio purgantibus aut emollientibus, aut imo tonicis Opium jungunt: Oleo junxit Haen, guttas Laudani liquidi quindecim tincturae Rhei guttis quinquaginta Mursinna; post ea aut cum purgantibus lenibus exhibitio observarunt dolores leniri, et tenesnum, et posthumam intestinorum laxitatem minui Auctores Commentarii in Pharmacopoeam edinensem (N. edinb. Disp. I. 453); cum gummi arabico, cum oleis aromaticis, cum aromatis jungi suadet Voigtel, Cinchonae junxere Morton et Monro. — Ad haec principia epidemicae dysenteriae pertractandae venient: symptomaticis quidem, febris inflammatoriae, biliosae, putridae comitibus, rarius et post alia Opium accedat; dysenteriae cruentae, cui cum torminibus decurrenti jam suo tempore Willis Laudanum cydoniatum cum Theriaca et conserva rosarum et syrupi sufficiente quantitate opposuit (Pharm. rat. 178), rationem ad sensilitatem et inflammationem emensam habebimus. Communissima vero dysenteriae varietas: rheumatica s. Rheumatismus intestinorum Stollii ab antagonistica cutis et intestinorum functione perturbata (a perspirabili intestina vellicante!) curabitur prima habita inflammatorii status ratione, dein exhibitio Opiatis cum Ipecacuanha et antimonialibus, accessorio mucilaginum adjutorio. Vogler hic laudat formulam sequentem:

R. Aquae

R. Aquae florum Sambuci uncias quatuor,
Specierum Diatragacanthae drach. unam,
Radicis Ipecacuanhae grana quatuor,
Opium puri grana duo,
Syrupi Althaeae unciam semis.

M. D. S. omni hora sumatur cochleare
unum.

vel R. Pulveris gummi arabici

- radice Liquiritiae
ana grana decem,
- radice Ipecacuanhae granum
semis,
- Opium grani quadrantem

M. f. Pulvis.

D. tales Nro —

S. omni bihorio sumatur unus Pulvis.

Majore dosi Jahn (II. 242) vix effectum optabilem, imo copiosum, aut aurium susurrum, quod Sims notavit, non observavit. Complicatorem suadet Jahn curandi methodum, cum Opio addat sub initium morbi Mannam, Tamarindum et Olea, sub decursu Calomel et Camphoram, sub finem vero Cascariillam et Nucem Vomicae. — Data opportunitate Opium in- et externe porrigatur; ultimum quidem inunctione justo rarius, et in clysmate

te saepius solito fit. Clysmia opiatum tenesmi sedandi causa commendat Clarke e guttis Laudani liquidi quinquaginta cum Oleo Lini, aut Amylo; utrumque bene conjungit Vogler, ad sequentem formulam:

R. Opii puri granum unum,
Amyli drachmam unam et semis
 superfunde aquam initio
 frigidam, dein calidam sub
 tritura, tandem mixtum
 ebulliat semel; residuo
 unciarum decem adde
Butyri recentis non saliti unciam semis.
D. S. pro Clysmate.

Segniz (IV. 117) idem remedium in diarrhoea antiquiore, vix non in Lienteriam degenerante laudat, cui tamen Catechu scrupulus adjectus sit unus. — Tempus Opii dandi vidimus esse aut post praevia facienda facta, aut illico ab origine morbi, quod fidus observator Sydenham audacius suadet (II. 531). Imo Opium conveniens morbo mox dandum esse optimi quique notant scriptores; Vogleri est sententia: Opium exceptis contra indicationibus mox sub initium morbi dandum esse; Voigtelii, mox a primis doloribus colicis, alvo prima tetri coloris; Jahnii tandem (II.

239), cum sine morborum parum agere, nec a metastasibus praeservare! Sic per dies plures, imo octo continuato usu Opii morbum esse suppressendum statuit Vogler. Speciatim Sydenham monet (II. 522) a hypnoticis cavendum esse ante somnum porrigendis, si sequenti mane purgandum sit, nam Opiū purgantium vires infringit, et alvus non est turbanda! — Dosis generatim sit parca, et repetita: larga statim dosis exhibeatur, ad mentem Vogleri; alias tamen ut plurimum valent doses parvae, e Gilbert, Vogler, Jahn, Marcus, qui a dosi minore plus quam a majore boni observavit; generatim dosim in unius grani parte quarta defigit Jahn, ita, ut a majore vix boni quid sperandum sit (II. 242), nisi spasmus atque tenesmus nimium furerent, quum granum semis usque unum vesperi dandam idem suadet (ib.); doses parvas repetitas multum proficere praesentibus doloribus, inquietudine, stimulisque perpetuis auctores sunt Jahn et Vogler, qui easdem frenandas judiciose commendant in statu morbi nervoso graviore (Jahn II. 241). Non parvi forte est observatio Linnéi (Amoen. acad. VIII. 299), qua is Opii usum in dysenteria maximi momenti esse ait, nimium tamen Opii usum simul efficere, ut aegrotus debellato morbo diutius tormina sentiat! — Viri hujus in suo genere unici effatum, causalitatem morbi et curae concernens, colophonem dissertationi

imponat justum, cum levissima suprema sint: statuit nempe is Dysenteriam oriri ab Acaro dysenteriae Linnéi, et narrat (Amoen. acad. VIII, 298) observationem discipuli sui Rolander, hunc Acarum necari tinctura Opii — dehinc morbum ipsum! Sit reverentia mortuis!

Vermes interdum Opio expelli auctor est Haen (tract. de vermibus intestinalibus p. 57), post spasmos a vermibus excitatos sedatos; an forte insuper ob stupefactionem, quam cunctis animalibus producit, etiam vermibus communicatam?

7. E Cachexiarum¹ ordine, non satis fundato, morbis duobus Opium occurrere novimus; nec his quidem originarie: Syphiliti nempe atque Phthisi.

De Opii in Syphilide usu ab anno 1777 multum scriptum est, auctoribus primis Tode, Guilielmo Thomas, Joanne Schöpf, Michaelis atque Noth: hos inter caeteros secuti sunt Hagström, Thuessink, Pasta, Arne-
mann et Souville. Annis praecipue Seculi decimi octavi octagenariis rumor Opio tribuebat laudem specifici contra hunc morbum alterius, penes Hydrargyrum. Addebatur facti

necdum stabiliti explicatio; hypothetica: Syphilidem esse inflammationem typhosam, quae Opio curaretur! At nec idea morbi est justa, nec morbus Opio curatur. Post copiosam enim experientiam a Scotis pluribus, praecipue Cullenio, et Monro decisum sequebatur: Syphilidem Opio non curari, mercurialem curam Opio longius atque; potius prolongari posse, quam sine eodem, symptomata quaedam morbi Opio leniri, et plurimum esse Opio copioso locum, dum Mercurialium vis exhausta est, quum Opio perficitur, quod Mercurialia nequivere (Donald Monro II. 182); tandem Mercurialium actionem Opio accedente juvari, accelerari (Cullen, referente N. edinb. Disp. I. 454). Nimium adeoque dixisse patet Michaelim (in Richteri chir. Bibl. VI), se interno Opii usu curasse syphiliticos bubones, cancos solidorum mollium aequae ac durorum, cujuscunque loci, herpetem, condylomata, doloresque osteocopos; qui tandem curarum proportionem definiit, se habere ad non curatos aegros uti 3 ad 1! At vis antisiphilitica Opio non inest, adeo ut character syphiliticus solo adhuc Hydrargyro sufferatur. Opium generatim convenit in aethenia apyreta, aut febrili, irritabilitati auctae, quae indicatio anno 1785 propria dissertatione ab Anglo Chirurgo A. Grant defixa fuit, convenit morbis syphiliticis localibus inflammatoriis multum dolentibus, aut spa-

sticis: blennorrhoeae, phymosi, paraphymosi, ischuriae spasticae, orchitidi, ulceribusque veneris dolentibus, in quae tamen non dolentia vix agit. Indicatur adeoque doloribus praesentibus spasmisque magnis, qui morbum facile augent, quique postremi virus fixant (Jahn II. 249. 251); indicatur pro doloribus osteocopis leniendis, imo saepe pro se auferendis (e Cullen), pro complicationibus tollendis (e Bell), atque pro sequelis Syphilidis et curae anti-syphiliticae destruendis. Opii adeoque virtus in Syphilidis cura restringitur ad effectus momentosos curae palliativae, laterales adjutricis et posthumae, qualem adjutricem curam alia quoque narcotica praestare novimus, uti Belladonnam, Cicutam, et in doloribus osteocopis praecipue Asam foetidam. Hos effectus praestat qua aesthesim minuens, qua activitatem versus cutim dirigens. Absit tamen inflammationi locali nimiae! Ptyalismi prodromos suppressit Opium (Voigtel II. 2. 286); ipsum vero bene curat gargarisma opiatum (Hunter on venereal diseases p. 361). Diarrhoeam morbo aut cura abortam suffert (Voigtel l. c.). Curam posthumam morbi optime perficit, qui tum aut est irritabilitas abnormis, aut plane mercurialis. Irritabilitas enim abnormiter aucta morbi ipsius saepe sequela, aut mercurialium nimis datorum (quod justo consuetius est), vel nimis protractorum Opio bene sufferitur (Jahn II. 249) simulque morbus non amplius

syphiliticus, verum in partibus adfectis lege consuetudinis decurrens. Hanc empirici, reptilium more elemento suo proni incumbentes, saepe nominant Syphilidem rebellem, contra mercurialia nempe, chronicam, in qua Opiata indicata sunt, e causa dicta (Jahn, Voigtel, Don. Monro II, 282). — Ulcera venerea genitalium, faciei caeterarumque partium, dolentia, phagedaenica, praepremis obstinata curavit Althof Opio exhibito, ea dosi, ut omni die tertia aut quarta uno grano plus propinaverit, tandemque ad dosim granorum triginta per nycthemerum ascenderit; idem tamen in ulceribus non dolentibus effectum non observavit (Althof prakt. Bemerk. p. 90). Vogel iisdem in casibus adhibuit lapidem causticum cum Extracto Opii (med. chir. Fälle Altdorf. t. 3); Bell similiter adhibuit, cum laude; in ulceribus venereis cum Scorbuto complicatis Blom et Odhelius adhibuerunt (Veckoskrift for Laekare t. 3. et 4), tractatuque eodem anno, quo Grant suum publicavit, publice exposuerunt (1785 enim tomus scripti praefati quartus prodiit). William enim Grant circa hoc objectum maxime meritis anno praefato, experientia duce, docuit ulcera venerea antiqua dolentia, in stadio altiore nempe Syphilidis, seu potius quae Syphilis amplius non est, cum morbus posthumus (Hypererethismus) Hydrargyricis et aliis remediis refractarius est, bene curari Opio

ad somni usque excitationem dato, dosi nempe prima grani sesquialterius aut duorum per nycthemerum, adscendendo ad grana quatuor usque octo. Curam juvat diaeta tenuis (D. Monro II. 181), adeo, ut ulcera dietim meliorentur (ib. 184). Agere Opium imminutione irritabilitatis morbosae (ib. 181), acrimoniam seu potius Hydrargyrum ipsum, quod ulcera sustinet, eliminando (ib. 184) Grant observat. Ulcera venerea talia, maligna alii dicta, praesentibus excrescentiis spongiosis tractavit idem feliciter Opii simul usu externo: miscendo solutionem quandam Opii, Tincturam thebaicam optime cum farina in pulvem, ulceri adplicandam. Post eum plures auctores ulcera impuriora cariei juncta Laudano tractarunt eo effectum, ut eadem foetore abolito pura evaserint. — Prouti autem Opium morbi syphilitici posthuma, sic quoque morbum mercurialem ipsum tollere observatione stabilitum habetur (Jahn II. 249, ductore aliquo Grant); imo Hahnemann hyperempyricus solum hunc Opio curari observat (in Hufelandi Journal II. 516). — Dolores osteocopos Opio saepe solo tolli antiquior est observatio, e Willis (loco mox citando), et scriptoribus recentioribus Materiae m. practicae (Jahn, Segniz); in doloribus osteocopis leniendo juvare auctores sunt Sueci Blom, Odhelius, et Wahlbom (loco supracitato). Actionem explicat Hahnemann e sublata vasorum strictu-

ra chronica per Mercurialia producta (apud Don. Monro AML. II. 181 in nota). Momentosissimum talis Curae casum profert Willis (in Pharm. rat. Cap. 2. Sect. 7. p. 166): aeger e Syphilide male curata doloribus osteocopis, nocte exasperatis, atque universalibus ad extrema deductus petiit, euthanasiae causa, sibi Laudanum Willisii concedi, cuius usum Willis de aegroto desperans concessit. At aeger Opiato hoc quotidie utens, dosi sensim auctiore, summaque, obortis largissimis sudoribus et urinae profluvio, sine omnibus aliis adhibitis intra mensem ex integro restituit se! — Bonam his in casibus invenerunt auctores unionem Opii cum Hydrargyro, praecipue in syphyliticis sensilioribus, atque dum Mercurii sublimati corrosivi usus indicatus est; Mercurio suo gummoso junxit Plenck (unde quidam Opio curari Syphilidem qua talem conclamarunt; Lehre von den venerischen Krankheiten. Ed. 2, Anni 1787 in praefatione). Fatetur Jahn (II. 284) vim Hydrargyri quidem antisiphiliticam Opio minui at etiam nocivam, quae dira interdum est. Opio Mercurialium virtutes dirigi, concitari, accelerari atque adjuvari Auctor est Cullen. — Dosis hoc in casu notabilis imo mira res est: generatim enim magna perfertur (Voigtel II. 2. 286 seq.), moxque datis majores aegro conveniunt, adeo, ut sensim augendae sint quantitates. Mox ab initio granum unum, aut duo

mane et vesperi dentur (Bernstein pr. Handb. art. Syphilidis); grana duo mane et vesperi, imo quater per nycthemerum perferri notant Segniz et Bernstein; a grano uno ad quinque ter usque sexies per nycthemerum dedere audaces Angli (N. edinb. Disp. I. 454). Exactior Althof granum unum ad sesquialterum die-tim dedit, adscendendo usque ad grana tri-ginta, ita tamen, ut in casu inflammationis ab eodem abstinuerit (pr. Bemerkungen p. 90). Dosim talem drachmae dimidia aegroti in-terdum per septimanas continuam perferunt; oborta somnolentia, at interdum etiam nul-la; curaque his accidit saepe absque excreti-one, saepe cum sudoris, urinae, alvi aut sa-livae fluxu (Michaelis in London Medical Communications. 1784. N. 23).

In Phthisi Opium adhibebatur a di-versis. Rejecit id etiam hic, uti et alias Opii inimicus Stahl, asserendo: „per Opium aegro, „etiam jam eximie debili, unius noctis so-mnum, secunda vero mortem conciliari (Theo-ria med. vera Ed. 2. anni 1739. p. 766). Phthi-si quidem ulcerosae curandae Opium non suf-ficit, at dispositioni ad eam ex hyperaesthe-si auferendae, atque symptomatibus lenien-dis eximium esse compertum est. Disposi-tionem phthisicam, tussi longiore se primum exserentem, absente tamen haemoptoë in se

ipso sustulit Meza, uti supra retuli. Symptomatibus gravibus leniendis adhibetur juste, at cum cautela; observat enim Young: facile symptomata augeri inflammatione oborta; in phthisi dato Opio excitari Hydropem (licet Hydropici a dosi Opii detumescant) auctor est Linné (Amoen. acad. VIII. p. 299); Opium non posse phthisicis promiscue dari judicat Pitcairn (opusc. p. 114), cum sudores semper excitet. Indicatum erit Opium in Phthisis mucosae stadio primo; in Phthisi ulcerosa id quidem aliqui rejiciunt, at hoc solum sub inflammationis periodo, tuberculorum pulmonalium suppuratione, feбри atque debilitate praesentibus consentaneum judico, cum artis magistri summi Opio prudenter et feliciter phthisim lenierint. Post inflammationem finitam, praesentibus tamen infarctibus et congestionibus Opium solum parvis dosibus atque solum Hydrargyro junctum valebit. Symptomatum lenimini, forte solo, inserviet Opium: tussis puta et diarrhoeae colliquativae, productioni vero somni. Hoc sensu illius usum suasit Pitcairn (l. c. p. 114 de Circulatione Sangvinis), Opio Cinchonae juncto tussim suppressi, atque sudorem a tussi (agitatione nempe) auctum. Boerhaave (Aph. de morbis 307) observat, pneumoniae in ulcus apertum transeunti, praeter caetera, occurrendum esse Opiatis vespertinis lenibus a grano semis ad unum pro dosi, Opii pro sym-

ptomatum lenimine usum multum laudat Swieten, qui vesperi Opium exhibuit, scopo tussis leniendae, atque clysmata opiata scopo diarrhoeae suppressendae. Palliativum adeoque Opii usum contra tussim, proque quiete nocturna procuranda plurimi hoc aevo usurpant; licet palliativae tali curae suo aevo Young nullam fidem habuerit, imo nec clysmatibus e Theriaca, Terebinthina, Vitello ovi, et Lacte. Si Opium augetur anxietatem, obstipationem atque stuporem, tunc Hyoscyamum surrogabimus. Reid tandem (Ess. on phthis. pulm. 1785) post venaesectionem Opio suppressere tussim, in secundo vero morbi stadio sola Ipecacuanha penes acidum sulphuricum dilutum atque Opium utendum esse suadet pro cura Phthiseos fundatiore.

3. Neuroses primarium sistunt Opio campum activitatis, atque praecipue quidem praeter ordines horum duos: debilitates et vesanias, convulsiones atque dolores.

a. Ex ordine debilitatum morbinervorum rarius Opio curantur. Apoplexiae enim solum asthenicae, ab Hyperaesthesiae conveniet Opium (Voigtel), similique hemiplegiae et paralyti membrorum (Matthaei in Hufeland Journ. XI, St. 2. p. 74. 94); cau-

sam enim morbi communissimam, orgasmum circulationis atque epirrhoeam cephalicam, auget, adeo, ut observatio Quarini (Anim. in div. morbos c. 2. de epilepsia), qui sub insultu epilepsiae dato somnum profundum et Apoplexiam obortam vidit, naturae Opii consentanea sit. — Neuroses chronicae, cum characterē paralyseos interdum Opio curatae sunt (Voigtel II. 2. 278): dosi parva, saepius repetita, ut reactio augetur in Paralyse, Hemiplegia, Apoplexia, Epilepsia, Melancholia, Vertigine; dosi larga, qua reactio minuetur, in Mania, Tetano, Trismoque. — Vertigini a Cerebri debilitate dependenti Opio interdum occurrebatur cum effectu (Voigtel); talique Syncopi, imo et ab Hyperaesthesia oriundo. — Agrypnia e curandae ab omni aetate Opium adhibebatur. Notissima haec vis a Dioscoride (IV. 60. p. 775) his notatur verbis: Papaveris capsularum et foliorum Decoctum contra vigilias valet fotu et potu. Valet vero speciatim, dum agrypnia ab anomalia systematis nervosi, a dolore nimio pendet, a debilitate apyreta. Opium ervi magnitudine somnum conciliare auctor est Dioscorides (l. c.) et somnum producere plane sedi suppositum pro balano (ib.); si nullo alio medio somnus aegro, pro sui et adstantium quiete optabilis, procurari valeat, Opii grano uno usque granis tribus porrectis procurabitur, ea nempe dosi exhibita, quae aegro quietum

adferre valeat statum (Jahn II. 209). In agrypnia variolosa Opium supra omnes res proficuum esse asserit Freind (hist. med. p. 278); Agrypniam melancholicam sustulit Prade Opio spinæ dorsi inuncto. Prolibus tamen inquietis pro somno conciliando Opium dandum non esse bene monet Gren (Pharmacologie II. 96), cum stupiditatis ansa esse possit. — At non solum in Agrypnia, verum etiam in morbis soporosis, caute tamen adhibito locus est Opio (Linné Amoen. acad. VIII. 297). Nec exculpandus est homœopathicus Hahnemann, qui in soporosis affectibus Opium soporiferum non omnibus præfert remediis! In Comate quidem variolosorum Opium iterum præcipuum remedium salutatur Sydenham (II. 522). — In Commotione Cerebri Opium prodesse, qua sudoriferum observationes Bromfieldi testantur. — Delirium ab arthritide anomala, at cum epilepsia decurrens curavit Percival Opii usu externo (uti Ward in Samml. auserl. Abh. XIX. St. 2); delirium a forti ira obortum, sub primo insultu curavit Opii granis quatuor Young, exemplo vix imitabili!

b. Convulsiones, Spasmi que generatim Opium requirunt. Verba Trallesii sunt: præcipuum inter omnia remedia antispastica locum ab omni aetate communi consensu me-

ruit Opium (Virium, quae terreis remediis adscribuntur, examen rigorosius p. 126). Spasmi quidem Opium accedat, cum hi a sensibilitate, irritabilitate localiter aut universim aucta derivant; signa causae hujus morbificae sunt pulsus parvus contractus, cutis et extremitates frigidae, facies pallida collapsa, urina copiosa tenuis, et sitis pauca. Spasmi hocce remedio sufferendi sunt, si dependeant a stimulis materialibus invincibilibus ante spasmos subactos (Selle); spasmi magni dolorosi; spasmi decurrentes absentibus sordibus abdominalibus, abortis a suppressa perspiratione, stimuloque metastatico. — Absit autem Opium spasmi abortis ab atonia, a causa materiali (praecipue a sordibus abdominalibus), et a plethora: pulsu nempe duro pleno, facie rubra, oculis scintillantibus, hilaritate aut somnolentia, respiratione vero anxia: Opio adeoque indicato praecedat evacuatio sanguinis et sordium. Absit spasmi ortis aut decurrentibus cum dentitione, exanthematibus acutis febrilibus, et cum Helminthiasi. — Ex indicationum momentis patet, quibus speciatim aegris Opium conveniet: sensilioribus nempe: feminis, omnium maxime gravidis, parturientibus atque puerperis; feminis hystericis, viris hypochondriacis Opium egregie et fere semper bene dari asserit Sydenham; tenellis tandem spasmo affectis. De parturientibus supra dixi, quod partui ju-

vando prosit Opium; sed alios quoque harum spasmos feliciter suffert: convulsionibus parturientibus bene mederi narrat Opio et Kali alternatim exhibito Hartmann; Jahn parturienti contra spasmos vesicae exhibuit intra horam Laudani liquidi Syd. drachmam sesquialteram; idem dedit feminae alteri contra Colicam spasmodicam intra horas duas Laudani liquidi guttas centum viginti (II. 257). Puerorum spasmos a terrore abortos sustulit Melin, factis evacuationibus sordium, mixtura e guttis Aquae sex et Laudani liquidi Sydenhami gutta una, quam ad duas vices exhibuit infanti mensis unius. — Morbi quicumque spastici Opio tentandi sunt, e quorum serie, praeter spasmos speciatim nominandos, saepius nominandi: coma, asthma, colica, hernia incarcerata, ileus, retentio aut profluvium excessivum mensium, lochiorum, cholera, hyperemesis, diarrhoea, obstipatio, ischuria (Wirtensohn p. 453), dolores ad partum spurii, aut post partum spastici, icterus, singultus, cordis palpitatio etc. Icterum saepe spasticum citissime curari Opio observavit Vogler (von der Gelbsucht p. 61), qui tincturae Opii crocatae partes quatuor Olei Lini partibus viginti mixtas super panno calefacto regioni epigastricae adhibere solebat. Singultum ab hyperaesthesia, absque inflammatione, absque causa materiali Opio curabilem exponit Tralles; palpitationem cordis a
ni-

nimia nervorum sensilitate, a stimulo oriundum Opio sufferri idem observat, et Wolf (in Hufeland Journ. XVIII. 1. p. 84) casum talem curatum refert. Spasnum ventriculi, vomitu stipatum, Extracto Opii vulgari non curabilem, curatum per Extractum Opii aquosum longissima digestionem paratum enarrat Baumé (El. de Pharm. p. 301) dosi adscendente usque ad grana quindecim per nyctemerum, qua per plures annos usa tandem sanata fuit aegra, quae nec a Laudano liquido Sydenhami, nec ab Extracto Opii vulgari ullum solamen sensit (ib. 302). Talem Spasnum curatum refert Conradi (in Hufeland Jour. IV. 193). Spasmos ab indigestione ortos Opio curari narrat Commentarius in Pharmacopoeam edinensem (N. Edinb. Disp. I. 454). In Casibus spasmodorum abdominalium valent inunctiones solutionum opiatarum in ventriculum, in abdomen, et clysmata opiata. Spasmos tandem uteri leniri Opio pluribus observationibus constabilitum habemus: tales post partum praesentes absque materia, absque inflammatione curari Opio cum Castoreo vel Sulphate Zinci exponit Jahn (II. 260); a sensilitate nimia obortos Opio cum oleis et purgantibus curavit Huxham (Op. omn. III. 76); tales tandem uteri colli sustulit Osiander inunctione olei Opio juncti. — Dosis Opii pro spasms sufferendis diversa est; magna saepe est necessaria, et enormis, imo excessiva saepe prae-

fertur, speciatim quidem in Tetano, de quo mox dicam. Generatim sensiliores juvant potius doses parvae repetitae, quales Jahn feminis hystericis, aut parturientibus exhiberi suadet, sic, ut dosim omni hora grano uno augeat, donec morbus minuatur, quum tempus intercalere longius protrahit (Jahn II. 257). Aliud notabile est momentum dosis, quod refractae magis stimulent, quam leniant; hinc in spasms majoribus illico major dosis danda est, cum Opium primum irritet, dein spasmus leniat. Sagax et doctus iam suo aevo Young Laudani liquidi Sydenhami guttas quinquaginta ad sexaginta in oleo exhibuit pro dosi, cum observaret dosibus minoribus spasmos potius augeri. — *Additamenta* Opii in spasms curandis generatim sint antispastica: Ammomium subcarbonicum pyro-oleosum (Sal Cornu Cervi), Valeriana, Naphthae; Hillary addi jubet Flores Zinci, Cuprum ammoniacale, Moschumque, in Indiis calidissimis cum fructu Mercurium dulcem addunt. Jahn (II. 273) e mixtura partium aequalium Essentiae Valerianae, Naphthae aceti et Laudani liquidi Sydenhami exhibuit guttas triginta pro dosi.

Tetanus, horrendus utpote spasmus, per rariores medicos Opio curabatur; quaerit Jahn (II. 258), an causa sit dosis parva ab

anxiis medicis exhibita? cum hic morbus semper magnas, imo summas et ferat et exspectet doses. Inclarescens hoc morbo curato Rush asserit, hic solum magnas quantitates exhibendas esse, et sic quoque ex aegris quinque solum unum curari! Granum unum usque quatuor omni trihorio Piderit, potius omni hora Jahn (II. 258) exhiberi suadet. Magnas doses hic perferri narrat Tode (Bibl. II. 1. p. 360), Hufeland (Journal I. p. 281) et Contasti (in Bull. des Sc. 1809. Octobre). Imo protractus usus, grani unius omni bihorio, imo ad grana duodecim quotidie data per septimanas non nocent, verum leniunt et roborant. Angli audaces horrendas doses exhibuere in tetano (debilitate indirecta Brunonis) utrarumque Indiarum, praecipue occidentalis, ubi intra viginti quatuor horas saepe quatuordecim Opii grana exhibentur secundum Gloster (Transactions of the American Society at Philadelphia I. in Phys. art. 2. p. 317), qui ipse in tetano cum trismo conjuncto intra octodecim horas exhibuit Opii grana nonaginta cum Moschi granis triginta! Don. Monro (prael. med. in Cronii instit. 1776. 8) refert casum, in quo per nycthemerum grana Opii centum viginti exhibebantur; alii de Tincturae Opii intra nycthemerum datis granis centum viginti, de porrectis intra dies septemdecim granis mille septingentis, imo intra nycthemerum uncis viginti aliqui loquuntur (Jahn II. 256).

Talia apud nos nec aegrotis, nec prudentiae medici ullatenus conveniunt. Quidam curam externam internae jungunt, dum balnea initio tepida, tandem morbo increscente frigida adhibent (Jahn II. 258). In tetano et trismo usus Opii alternans cum eo Calomelis valet (Hartmann Pharm. dynam. II. 287); utroque in casu unicum fere, cum Calomele, Opium esse remedium fatetur Piderit. — Opisthotono et spasmo cynico doses aequae largae conveniunt (Tralles). Trismus puellae spasmis junctum ab herpete suppresso curavit Ferriar exhibito mixto ex Opii puri granis decem, Camphorae Moschique ana scrupulo uno, pro dosi ante insultum singulum. At communissimus aevo nostro bellicoso invalescens trismus traumaticus (a vulnere, maxime sclopetario ortus) Opio copioso bene curabilis est. Largae et hic doses requiruntur: Piderit curam perfecit dando extracti Opii aquosi granum unum usque quatuor omni trihorio, inuncto simul unguento mercuriali tempore duarum septimanarum; idem Opii granum unum Moschi granis quatuor aut octo additis porrexit aegris. Eximium hoc in casu Opii usum laudat Berends, Buhr (in diss. de usu Opii chirurgico), Moore in trismo a vulnere sclopetario (Med. Communications of Edinburgh. Nro 11); egregios a largis dosibus effectus viderunt Clephane Macauley (Med. Bemerk. II. p. 116), Sylvester, Huck, Farr, alii-

que; at nec a magnis quantitatibus exspectat bonum Rowley. Anno 1800 Stütz inclaruit methodo trismi traumatici nova curandi, qua is, ad ductum experimentorum galvanicorum Humboldti, Opium alternatim cum Kali carbonico ingeri, atque extus balnea Kalina adhibere jussit (Stütz in Hufeland Journal XV. St. 4. p. 5. seq. et med. chir. Zeitung 1800 I. 81. 322. IV. 262), sicque tetanum, opisthotonum, trismumque sufferri docuit. Curatio haec pluribus successit, aliis vero minus.

In Epilepsia Opium rarius utile visum; imo obest praesente plethora, turgentia vasorum, epirrhoea cephalica, functione organorum abdominalium laesa, morbo a vermibus oborto; non prodest, dum morbus, uti solet, a vitio organico locali oritur; illud rejicitur ab aliquibus, dum affectus irae ansam dat. Si vero origo morbi delitescat in hyperaesthesi, a stimulo systematis nervosi majore, absente vitio abdominali prodesse poterit; a terrore et moerore obortum morbum Opio curari refert Hufelandii Journal (XII. 1. p. 120); a terrore epilepticis prolibus Haen ante insultum exhibuit Opium, quo insultus leniores sustulit.

Choream Sancti Viti curavit Theophrastus Paracelsus narcoticis meris, quibus

accessit essentia quinta Opii (de morbis ament. l. 2. p. 502); eadem ratione maniam quoque (ib. 501). Morbum hunc puerorum post catharsim et venaesectionem curavit Sydenham exhibitis pro dosi guttis Laudani sui octo, tractatione tali alternante terve quaterve (Op. II. 527. 596); eundem sustulit Lullier totius corporis tinctura thebaica inunctione (Journal gen. de la med. 1803. Decembre).

Hydrophobiae Opio curatae casum nullum refert Historia Medicinae; nam licet Nugent (Essay on the Hydrophoby. London. 1753. 8) referat se aegram hydrophobicam ope Opii Moschique junctorum curasse, tamen aliud hujus curae testimonium nullum affert, et Percy asseverat, aegrotam Nugentii hydrophobicam non fuisse a cane rabido demorsam! quocum consentit Nugentii opinio: Hydrophobiam esse Hysteriae varietatem, quod ipsi pro Hydrophobia spontanea s. hysterica concedemus.

Hypochondriasis et Hysteriae remedium interdum est Opium. At quibusdam hystericis nocet, uti plethoricis, obstructis, sedentariis, bene pastis: his conveniet Asa foetida, Valeriana et Chamomilla (Jahn. II. 254); feminis nempe plethoricis, viragi-

nibus, aut paroxysmo pridem absente Opium primo post venaesectionem et catharsim exhibendum est dosi media (Sydenham II. 417): post haec dosis parva curat morbum, dum absque his datum Opium fortioribus insultum sinit redire, nisi Opio perpetuo per annos dato. Saepe semota tantisper causa ordiendum ab anodyno, propter dolores, emesim, diarrhoeam (II. 403), haec enim solum cohibet Laudanum (417). Si Ferrum propinatum feminis turbas longiores (nec solum primis diebus) causet, singulis noctibus Laudanum liquidum in aqua hysterica dandum est, continuato dietim usu Ferri (ib. 409). Dehilibus feminis, paroxysmo proxime finito post emeticum mitissimum (Zithogalam s. Lac cum cerevisia) mox detur Opium (ib. 418), dosibus usque curam repetitis, penes quas nihil plane, nec enema mitissimum, exhibendum (418), atque corporis, praecipue capitis, quies summa servanda est (ib. 419). Est tamen Opium tali cautela exhibitum morbi saepe unicum remedium, orti ab hyperaesthesia, flatulentia, spasmisque; qua specifi- cum laudat Selle, irritabilitatem minuendo agere asserit et laudat Whytt, ut adeo Jahn nimium dicat: Opio tumultum solum sedari, non curari! qui tamen ab hypererethismo ortus etiam curari potest. Doses parvas, nec multum continuatas exhiberi suadet Whytt, alii

parvas, mox repetitas (Erl. oest. Pharm. I. 360).

Asthma spasticum Opio curari constat. Si absit inflammatio, plethora, pulmonum infarctus vel obstructio, spasmus aut consensualis pulmonum affectio saepius morbus est, cui Opio occurrit Wolf (in Hufeland Journ. XVIII. St. 1. p. 51) et Tralles. Clysmata opiata multum juvant processum curae. — In Dispnoea spastica, absente vitio topico momentoso Whytt Opium adhiberi suadet, cui bene junguntur Scilla, Asa foetida, Sal Cornu Cervi; Rush adjecit Tartarum emeticum, Chalmers Kermetem mineralem et Camphoram, sequente formula:

R, Salis Cornu Cervi grana octo,
Camphorae grana quatuor,
Hermetis mineralis
Opii ana granum unum.

M. fiat Pulvis.

D, S. Omni hora sumatur pulvis unus.

Pertussi (T. convulsivae, s. spasticae) Opium prodest. In stadio morbi primo non convenire asserit Jahn (II, 262); convenit illud absente febre, post evacuationes. Ad-

dantur Camphora, Scilla et Antimonialia. Pueris infra annum Matthaei exhibuit omni hora unam octavam guttae Laudani liquidi Sydenhami (in Horn's Archiv III. St. 2). Pilulas Weikardi valere in morbi stadio altero, tertiove asserit Jahn (l. c.), qui tamen maxime laudat sequentem formulam (II. 263):

R. Sacchari albi grana decem,
Salis Cornu Cervi granum unum,
Kermetis mineralis granum semis,
Opii grani quartam partem.

M. fiat Pulvis.

D. S. Proli 6—8enni dentur per diem
pulveres duo, usque tres.

Vogleri formula sequens est (in Hufeland Journ. XV. I. 98):

R. Sacchari albi drachmas tres,
Amyli drachmam unam,
Magnesiae albae drachmam semis,
Opii puri
Ipecacuanhae ana grana duo.

M. f. Pulvis.

D. S. Per diem ter usque quinquies den-
tur grana pulveris hujus octo usque tri-
ginta,

Emplastrum de Galbano crocatum , mixtum cum Camphora , Sale Cornu Cervi et Opio circa extremas costas veras imponere jubet Hufeland (von den Blattern). Vide insuper Knebel (in Hufeland Jour. XXVI. 2. p. 117).

Ileum Opio saepe sustulit Sydenham , qui aegro purgantia ore rejicienti Laudani liquidi sui guttas vigintiquinque in Aquae Cinnamomi uncia una pro haustu , post aliquot horas iterando , dein vero purgans exhibuit (Op. II. 434); si sumto purgante rediit vomituritio , omni quarta sextave hora reiterari jussit paregoricum , donec intestinorum quies subsequuta fuisset (ib.). Tissot omni quadrante aut hora dimidia mixtum propinavit ex Aquae Melissa uncia sesquialtera et Laudani guttis quinquaginta. Haen purgantia et Opium alternatim porrexit. Vogel (Methode den Ileus von eingeklemmten Darmbrüchen zu heilen. Nürnberg 1797) Opium praestantissimum remedium Ileii salutatur. Dum statui inflammatorio venaesectionem et hirudines praemittit , clyσμα emolliens et evacuans , dein vero emolliens cum Opio , tandem balneum et unguentum emolliens cum Laudano et Camphora ad abdomen , atque fomenta emollientia adhibet. Nunc tentatur taxis , si vero haec non succedat , adhibentur purgantia cum Opii lauta dosi. — Opium in Ileo et hernia incarcerata si-

stit spasmus, emesim, dolorem, interdum minuit inflammationem praevertitque gangraenam herniae incarceratae (N. edinb. Disp. I. 454). In hernia incarcerata spastica (absente nempe inflammatione) Richter saluberrimo effectu adhibuit interne Opium cum Sale amaro, oleo Lini, fomentisque emollientibus abdomini adplicitis (WAK. V. 269). Idem consilium secuti sunt Wendelstaedt (in Hufeland Journ. XIX. 2. 269) et Willich (ib. XXI. 2. 105).

c.) Dolores sunt campus alter vastissimus Opii activitatis. „Magnum quid est in morbis dolorem sedare posse“ summus enunciat Swieten (Comment. I. 372); monet tamen subin causam doloris aliis remediis tollendam esse, alias inflammationem pergere, dolore licet semoto, alias gangraenam oriri, cum motu animali per somnum suppresso pergat vitalis; quae pridem iam novit audax et felix, quia prudens, Sydenhamus; cum venaesectiones in inflammationibus praemiserit, cum alias purgationes submiserit, aut praemiserit. Hunc quidem effectum unicum Opii praeparatis (nec Opio crudo) concessere Opii inimici infensissimi, Stahlia asseclae, quod dolores nimios, atroces, absque materie, viribusque integris, praecipue in sensilioribus, depellat (Juncker therapiae generalis conspectus p. 494). Qua

anodynum nōvere gentes et auctores remotis-
simi; Hippocrates causaliter pronunciat (de
liq. usu): moderatum stuporem dolorem se-
dare; Opium ervi magnitudine datum dolo-
rem finire novit Dioscorides (IV. 60. p. 745);
Pharmaca e papaveris succo omnia stupefa-
ciunt, et ob id sane necessario cogimur ipsis
uti, ubi nullum aliud mitigativum opem
tulit, verba sunt Galeni (de compositione
medicamentorum l. 3.). — Non convenit O-
pium doloribus a stimulo materiali, locali,
mobili; non ab inflammatione ortis, alioquin
non minoribus, at convenit iisdem a stimulo in-
vincibili, atrocibus (imo et inflammatoriis,
quorum causa praevie aut additamentis minu-
enda, tollenda est), personarum sensiliorum,
spasmo junctis, quales in hystericis videas; do-
lores symptomaticos plurimos Opio bene cu-
rari novimus: sic lenit, imo sopit dolores a
vulnere, fractura ossis, ambustione, quos et-
iam prouti februm symptomaticarum praevertit
(N. edinburg. Disp. I. 452). Multam cer-
te famam, justam quidem, Opium recentius
acquisivit adplicitam morbis feminarum, qui-
bus mobilitas nativa inest systematis utrius-
que nobilioris, exaltata adhuc per gravidita-
tem, statum puerperii, lactationisve. Jam an-
no 1764 Maxwell Gartshore edidit dissertatio-
nem de papaveris usu in parturientibus et
puerperis. Edinb. et momentosum anno 1781
Commentarium I. Chr. Starcke, de universali

nuperrime celebrato partum levante Opii usu in graviditate, partu, puerperio Jenae, quibus motiva usus ventilabantur. Patet enim nevrosim feminarum se monstrare emesi, alvis saepioribus cum tenesimo, haemorrhoidibus, dispositione ad abortum, doloribus spasticis, posthumis, convulsionibus imo Syncope. Opiū hic saepe numero indicatum esse evictum est, nec plethora gravidarum, saepe specie ludens, saepe absens, inhibeat indicationes veras (Jahn II. 266). Indicationes Jahn statuit sequentes: 1) Nevroses minores a conceptione ortas: emeses, spasmos, animi deliquia, quibus unicum est remedium Opiū, cum acido carbonico, volatilissimisque pharmacis. 2) Periculum partus praematuri, habitualis a hyperaesthesia, quam tertio graviditatis mense sufferas Opio (saepe magnis dosibus necessario) cum Cinchona dato. 3) Circa partum dolores nimii, spastici, spurii, qui Opio sufferantur, mox veris subintrantibus, adeo, ut partus apparenter gravis abbrevietur, docentibus Starcke, et praecipue Vogleri dissertatione super partu. Gartshore et Starcke usum simul externum Opii, in clysmatibus atque fomentis laudant. 4) Dolores tandem posthumos, praecipue saepius parturientium, bene tollit (Jahn II. 266). — Opio in doloribus sedandis bene adduntur antispastica, emollientia, atque purgantia: Castoreum (scopo pro parte emendationis) in Colica curanda ubique ad-

dere jubet Baglivi; emollientia, maxime olea pinguia salutaria addimenta novimus. Purgantia addita multi bono cum effectu observarunt: Alexander Trallianus purgantia vehementia in colica et ileo non valere asseruit, nisi vis eorum opiatas hebetata sit (apud Freind hist. med. p. 163); idem suasit praecipue in curatione colicae, ilei, herniae incarceratae Bach; idem additamentum Commentarius pharmacopoeae edinensis (N. edinb. Disp. I. 453), quo saepe inflammatio et ileus praeventatur.

Cephalalgiae curandae antiquissimam adhibuerunt Opium. Galenus Opio rarius usus id tamen adhibuit pro dolore capitis curando, qui sine manifesta causa prae doloris vehementia hominem de vita periclitari fecit (de compositione medicamentorum l. 2.). „Ad dolores capitis cum rosaceo perfusum Opium efficax est“ verba sunt Dioscoridis (IV. 60. p. 745). Eodem scopo Opium temporibus inunxit praestans auctor dissertationis de Opii usu externo de la Prade (Journal de Med. t. 36. et in Samml. f. pr. Aerzte 1. St. 4); idem in vehementi radiorum solarium in caput influxu (Sonnenstich) temporibus inungi curavit. Valet quoque in Cephalaea, aut hemicrania, a sono, motuque augenda (Germanis interdum Kopfkolik vocata).

Prosopalgiam Fothergillii nuper curavit Waldhemii in Saxonia Heyner, dum aegroto penum narcoticorum pentandrorum exhaurienti tandem exhibuit decoctum Chinae tincturae Opii junctum (semel per septimanam addito paucō Rheo, ne obstipatio oriretur), unde obortis sudoribus copiosis lenimen, et cura successit.

Otalgiam aequè jam antiquissimi Opio curarunt. Dioscorides suadet, Opium aurium dolori cum amygdalino; Myrrha et Croco instillari (IV. 60. p. 745); auditus gravitatem tamen inducere, quaecunque ad vehementem aurium dolorem ex papaveris succo sunt composita, notat Galenus (de compositione med. l. 2.), qui tamen aliis anodynis frustra adhibitis Opii usum concedit (l. 3.).

Odontalgia interdum prodest Opium. In hac quidem, prouti etiam in Otalgia usum Opii vetat Tralles, nisi causa metastatica, catarrhalis, rheumatica subesset, quae Opio, utpote diapnoico, suffertur. Sensilitatis tamen nimiae morbo opitulabitur, uti in gravidis, et alias, praecipue dente carioso. Hujus excessi foramini saepius imponitur Opium pro se, vel cum Naphtha, Camphora, oleisve aethereis (quorum tamen caustica e. g. Caryophyl-

lorum, merito rejicias, ob effectum in dentes posthumum). Segniz laudat pilulas denti exeso imponi, sequenti miscela (IV. 126):

R. Extracti Opii grana tria,
Ligni Guajaci pulv. grana septem.
M. f. cum Syrupo pilulae
numero viginti.

Abusus tamen nocere potest relaxatis fibris firmantibus dentes, qui inde excidunt; aut excitata epirrhoea cephalica, soporeve. Saepius sufficit emplastrum opiatum, temporibus adplicitum, cui Olea aetherea, Camphorave accedere possunt:

R. Cerati communis unciam unam,
Opii scrupulum unum.
Misce exacte.

In Cardialgia bene adplicari posse scribit Tralles.

At in Colica curanda momentosus est Opio locus; generatim quidem, dum abest obstructio, causa materialis (sordes vocatae),
atque

atque inflammatio, quae tamen praevie aut simul cum adhibitione remedii tolli possunt; addit Tralles, Opio non esse locum in Colica flatulenta, et eum sequitur Commentarius in Pharmacopoeam austriacam (Erl. östr. Pharm. I. 350), licet alii non vereantur; Opium tandem abesse mandat Willis (Pharm. rat. p. 163) in Colica scorbutica, cujus quidem dolores sedat temporanee, ut rursus desaeuire possint. Nec ab usu longius continuato Opii timendum esse idem observat Auctor, qui narrat casum matronae lectissimae Colica tamdiu laborantis, donec Opium purum quaque nocte sumeret, usu usque ad curam continuatam (Ph. rat. c. 7. p. 166). — Varietates Colicae, quibus Opio succurrendum est, sunt: spastica, gastrica (mucosa, biliosa), flatulenta, metastatica, atque plumbata. — Colicae spasticae seu siccae nervosae imaginem graphice sistit Chalmers, causarum tamen minus; partes hae sunt: dolor summus, contrectationis impatiens (ut noli tangere dictus sit), periodice recurrens, umbilico introrsum tracto, interdum paralysis artuum a dolore musculari, pulsus peculiaris, lentus. Chalmers usus est Opiatis, additis solventibus atque oleosis; caute tamen Opio utendum esse suadet Triller (Thesaurus I. 215) ne intestinorum paresis funesta subsequatur. Inunctiones opiatae bene junguntur. Hujus census est colica hysterica, cui, licet materia viridis rejiciatur, O-

pium convenit ad Spiritus perturbatos moderandos (e Sydenham, Op. I. 215), qui tamen observat, Opium praemissis evacuationibus minore dosi sufficere, quam ante eas (ib. 216. et II. 413. 416. seq.). — In colicis gastricis evacuationes instituendae, dein Opiata exhibenda; in mucosa Sellii Opio bene junguntur adstringentia, austera roborantia: Alumen, Kino, Catechu; in Colica biliosa, si vomitu rejiciantur remedia, Opium ante catharsim, et tertio intervallo, pro observatione effectus exhibendum esse censet Sydenham (I. 209); verum post catharsim summo dolore urgente, et quolibet die a purgatione libero mane et sero dosi largiore, guttarum sedecim Laudani, exhibeatur Opiatum, cum violentia doloris vires remedii frangat (ib. 210). Sic prudens Senex semper solebat humores evacuare, dein vero semper humorum orgasmum a purgante abortum Opiato compescere. Colicam pertinacem cum alvi obstipatione curavit Percival (Med. and philos. Comm. Vol. 5) clysmate e decocto concentrato capsularum Papaveris cum guttis Tincturae thebaicae viginti usque quadraginta; post doloris remissionem fortiore Calomelis Jalappae mixti dosi. — Pro Colicae flatulentae cura Opiatis aquae aromaticae, olea aromatica (Menthae piperitae, Chamomillae), aromata (Cortices aurantium, Cardamomum), atque Naphthae jungendae sunt. — Colica metastatica:

rheumatica, arthritica Opium convenientibus mediis junctum exoptat: sic rheumaticam Camphora et potu calido; arthriticam et nephriticam Opio curavit Willis (Pharm. rat. p. 178), exhibendo Laudani sui liquidi, tartarisati nempe, guttas viginti in Aqua Cinamomi; pro Colica nephritica curanda clyσμα opiatum multum laudat Joh. Christ. Zimmermann (Chymie I. 831, licet illud scholae stahlianæ assecla rejecerit, pag. 193—195). In Colica eadem Bergius laudat (Mat. med. II. 483). — Colica plumbata dirissima multam in Opio saepe salutem invenit, adeo, ut de Haen declaret: Opio in curando hoc morbo nos carere non posse (Rat. med. III. 79) et assentitur Brambilla (Abh. der Joseph. Akad. I. 170), Stoll, Mohrenheim, Lentin, Gentron (apud Hufeland); alia quidem morbi remedia sunt Alumen, Antimonialia et Olea pinguia. Opium quidem ipsum post vel cum evacuantibus dosi largiore perfertur et expetitur: rarius emetica, saepissime purgantia valent; pilulas saponaceas Pharmacopoeae londinensis alii laudant. Purgantibus et Opio utebatur Huxham; Oleo et Opio de Haen, imo iisdem plane in Paralyti tardius accedente; Stoll inflammatione per venaesectionem debellata, postque purgantia actuosissimum fatetur esse Opium, quod cum Oleo vel decocto Chamomillae, vel corrigente Camphora quantitate aequali exhibuit per noctem grana tredecim utriusque. Primo Opium,

dein purgantia dedit Hillary, sique dolores redierunt doses majores Opii usque ad grana sex. Cum purgantibus simul exhibuit Mellin: spasmo nempe et dolore abdominali urgente sequentem exhibuit mixturam pro haustu:

R. Laudani liquidi Sydenh. guttas 20 vel 30,
Infusi foliorum Sennae unciam unam,
Tartari emetici granum unum,
Syrupi — pro grato sapore.

M. D.

Pictores Colica plumbata laborantes aliquoties curavit Jahn (II. 264). sequente mixtura:

R. Aquae Cerasorum nigrorum uncias tres.
Olei Ricini unciam unam.
Saponis veneti drachmam sesqui.
Vitellum Ovi unum.
Opii grana octo.
Syrupi emulsivi semiunciam.

M. D. S. omni hora sumat cochlear unum.

At a dosi Opii largiore facile debilitatem membrorum oriri putat Segniz (II. 187), quod tamen nemo observavit, cum potius largiores solum morbo curando sufficiunt.

Dolores systematis uropoëti
Opium saepe expetunt: sic Calculus renum,
vesicae urinariae; sic, de quibus supra di-
ctum, Ischuria et Priapismus. — In Nephri-
tide calculosa Opium valere asserit Tralles;
dolorem a calculo nephritico obortum non
tantum leniri, sed imo hujus plane descensum
facilem fieri observat Commentarius in Phar-
macopoeam edinensem (N. Edinb. Disp. I.
454).—Dolor a Calculo vesicae urinariae Opium
exigit, dum atrox, dum spasmio junctus, dum
operatio (alioquin solum morbi productum,
vix morbum auferens) perfici non potest. Se-
nes operationem saepe non ferentes in Opio
solamen inveniunt, quod his in casibus Wil-
lis propinavit, usu continuo Laudani vel
Diacodii, cujus doses adscendendo magnas,
et semper sine noxa perferunt (Pharm. rat. p.
163). Dolorem a Calculo saepe suppuratione
atque spasmio producto, inde vero oborta Dia-
bete, Dysuria, Ischuria Opio curari observat
Wirtensohn (p. 453): Opium hic laudat Tral-
les, ad grana quatuor omni bihorio exhibuit
Swieten, ad guttas decem Laudani liquidi
Sydenhami omni bihorio (post venaesectio-
nem) Mellin; suos tandem a calculo urinario
dolores sanavit Haller in clysmate opiato, cui
guttae centum, atque centum triginta Lau-
dani liquidi additae fuere! Imo lithontriptica
bono consilio addes: saponem et alcalinorum
seriem.

Arthritis tandem dolorum scenam claudat. Quidam hoc in morbo Opium totum abjecerunt: semper nocere asserit Tralles, ab Opio arthritidem facile retrocedere Cullen, licet retrocessa Opio bene propellatur! Dolores podagricos Opio mitigari, at repetitis dosibus plerumque cum damno aegri refert Bergius (II. 483). Alii cum profectu aegrorum, exhibuerunt nostrum Opium: Willisii verba sunt (Pharm. p. 163): saepe egregiam et quasi divinam praestat opem! Opium Podagricis proficere cum lacte mulieris et Croco refert Dioscorides (IV. 60). Podagram Capitaneus Suecus in se empyrice curavit pota substantiata Opii aquosa, oborto inde sudore vehementer (Linné Amoen. Acad. VIII. 298); Podagram inveteratam, dolore vix tolerabili stipatam curavit Sydenham Opio (II. 476), qui audacissimus et felix calculo laborantibus Podagricis dedit catharticum mannatum, et insultum certo nunc subortum Laudano suppressit (Op. II. 556). Contraindicationum evictarum series parva est: Arthritis nempe universalis, Arthritis normalis, feбри non evoluta, nec doloribus summis praesentibus, unde timendae sunt metastases, apoplexiaeque (Jahn II. 236). Indicatum vero est Opium, in Arthritide typhosa, imo etiam universali, pro doloribus summis leniendis, praecipue in partibus sensilioribus, aut spasmis praesentibus; hic praecipue usum Opii commendat

Charles Scudamore (treatise on the nature and cure of gout and Rheumatism. London. Ed. II. 1717): dum urgent dolores magni, absque obstructionibus, absque inflammatione, dum spasmi morbum comitantur. Utuntur tunc Angli empyricorum guttis sic dictis nigris, quae Opium tenent. Opio tunc bene additur Ipecacuanha et Camphora. Laudat idem Opium in Arthritide chronica intensa, absque reactione fortiore, quae decurrit solum cum dolore, obrigescentia et tumore partium: nunc chilopoëtica excitanda esse suadet praecipue purgantibus atque diureticis, vesperi vero danda narcotica: Opium, aut melius Hyoscyamum. In inveterata jam Sydenham Opium adhibuit (II. 476), et Weikard tunc Laudanum liquidum Sydenhami manibus inungi jussit. Arthritidi vagae prodest Opium, junctum Camphorae, Antimonialibus, optime vero Mercurialibus (Jahn II. 237); prouti idem remedium alii quoque auctores Arthritidi vagae, periodicae opposuere (uti in Rheumatismo): Coturni (de Ischiade nervosa §. 41), Fordyce (fragm. chir. med. London. 1784. p. 78.) et Hufeland (Journ. XX. St. 4. p. 74). Arthritidem retrocessam Opio tractare solebat Sydenham (II. 474), curari suadet Cullen; Arthritis tandem incongrua, dum interius viscus adgreditur, Opio tentanda est (e Jahn II. 237).

d. *Vesaniae* ultimus sunt *Ordo Neurosium*, quarum symptomata sensorii communis functionibus alienatis se pandunt. Plurimum in humanis potentiatae Naturae causas remedio vix attingimus. Pauca adeoque, in limine experientiae decurrentia, heic loci sunt. Generatim si ullum aliud, magnae doses requiruntur, excepto casu *Maniae*. — *Somnambulismo* curando magnas *Opii* doses opponi jubet ingeniosissimus, et simul genio suo, usque ad fictiones (poëta enim erat etiam in medicis) indulgens *Darwin*. Nullibi datum legi, quin parum exspecto.

In *Melancholia* *Opium* nocere asserit *Tralles*; ab ejus usu abhorruit *Mead* (cum copiosum exhibitum saepius somnum non causet); illud in melancholicis non esse dandum sentit *Linné*, cum *Maniam* accelerare posset (*Amoen. Acad. CIII. 299*). Alii tamen *Opium* etiam hic exhibuerunt, imo eodem curam perfecerunt: sic (prouti in *Mania*) hic quoque exhibuit *Swieten* (*Commentarii III, 517*), et *Friborg* (in *Collect. Soc. med. hafn. II*). *Melancholicorum* unicum solamen salutat *Bergius* (*II. 483*). Valet *Opium*, dum abest morbi causa materialis, secundum *Chiarugi*, aut hac praesente sufficienter evacuata, vivacitate perstante dosibus magnis e *Selle*; dum causa morbi ponebatur metu, moeroreve, unde tri-

stitia, suspiria, lachrymae, fletusque; hoc in casu grana Opii quatuor moderatam sistere dosim ait Jahn (II. 255); talem moerore et anxietate comitatam Swieten granis Opii quindecim sustulit. Convenit Opium Melancholiae a Venere nimia, aut non satisfacta: in ea, quae debilitati genitalium innascitur, magna dosi cum Camphora valet (Jahn II. 255); aliam a causa religiosa obortam Opio bene sanavit Hergt. Opium tandem in Melancholia cum solidorum laxitate magna (prouti in delirio miti febrium nervosarum) Cinchonae junctum miraculi instar agere observavit Ferriar. Dosim Swietenii granorum quindecim ne mireris; nam Brandroht melancholicum cito sanavit, exhibitis pro dosi hamaphagica scrupulis duobus, et post horas quatuor iterum scrupulo uno (apud Duncan med. Comment. for. 1791). Verum etiam irrito conatu datas ducentas tincturae thebaicae guttas vidit Crumpe!

Nymphomaniam ab hyperaesthesia, factis praevis necessariis, Opio tentare nil vetat.

Mania, ingenii humani eclipsis therapeuticorum meta esto. Usus Opii in Mania recentius determinatus est experientia; suo enim

aevo Bergius fatebatur : nullum casum Maniae Opio perfecte curatae exstare (Mat. med. II. 483). Abesse certo debet Opium a plethora, inflammatione, causa morbi materiali (humore atrobiliario); non enim valet oculis torvis, ferocibus, facie rubra, motibus corporis animique tumultuariis, pulsu celeri forti, calore, siti, inquietudine, anxietate praesentibus (Jahn. 254); plethoram praesentem fortiozem effici observavit Lorry (Journ. de med. I. 71). Huc spectat Cullenii observatio: Maniam saepe Phrenitidi analogam esse, quae Opii usu in Apoplexiam transeat. Valebit vero absente epirhoea, sordibus (Swieten Comment. III. 517, et Reil IV. 460), in hyperaesthesia nimia sangvinico-cholericorum. Wendelstaedt (Sammlg. med. u. chir. Aufsätze Hadamar. 1807. I. N. 7.) plures casus Maniae per Opium copiosum curatae narrat, oborto plurium dierum somno. Etiam hic Opii quantitates magnae, et continuatae adhibendae sunt. Methodum propriam Maniae curandae proposuit medicus florentinus Vincentius Chiarugi (Abhandlung über den Wahsinn. Leipzig. 1795), qua sensilitatem Cerebri nimiam, quin Systema vasorum in orgasmum concitetur, immnuere intendit: Laudano nempe liquido super penicillo in nares altissime ingesto atque inuncto, dum quantitas parva, fere localiter, citissimo tempore aget. Tentamen pluries fa-

ciendum est; nec enim Segnizii (cui metho-
do hac odontalgia momentanee cessavit, tar-
dius non. Ib. p. 112), quaestione: an effectus
transitorius sit? deterrebuntur observatores.

§. 10.

Opii praeparata atque compo-
sita, quae aetas tulit et sustulit, penitus ex-
posita, libri molem poscerent; cum vero mi-
hi certiora solum, aut usitata arrideant, his-
ce locum concedere in animo est.

Opium crudum, purum optimum esse
remedium cunctis praeparatis, compositisve
aut correctionibus praefendum jam tandem
edocti sumus, adeo, ut Pharmacopoeae pu-
blicae quaecunque Opii correctionem nullam
agnoscat, praeparata vero paucissima, com-
posita pauca legalia publica admittant. „Di-
vinum enim (verba sunt Freindii in prael.
Chym. p. 35) morborum lenimen non est ita
malignae efferaeque indolis, ut cicurari et corrigi
debeat“. Sententiae huic accedit laboriosus Le-
mery (Cours de Chymie. 1809. 814), et historico
fundamento nititur optimi Baumsi observatio
(Pharm. 295): „Boni jam olim practici Opium
crudum prae praeparatis adhibere“. Eiusdem